John Adams Library,

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF No.
*
* 28 1.8

SECVNDA REMONSTRANTIA Ministrorum Ecclesiarum Hollandicarum & West-Friscarum qui REMONSTRANTES vocantur, Illust: DD. ORDINIBVS Hollandiæ & West-Friſiæ tradita in Aprili, ANNO 1617.

Aclamo 251.8

CVM

SECVNDA CONTRA-REMONSTRANTIA,

seu Responsio ad eam, Reformatorum earundem Ecclesiarum Ministrorum, in qua demonstratur Remonstrantes Novam Doctrinam in Ecclesias Reformatas introducere; iisdem Illust. DD. Ordinibus tradita in Augusto Anno 1617.

Ex Belgicis in Latinam linguam fideliter translatæ, ut ex iis Reformatæ Ecclesiæ externa de Controversiis Belgicis plenius cognoscere possint.



2570

LVGDVNI-BATAVORVM,
Apud IOHANNEM ORLERS, 1617.

CHRISTIANO

Lectori

EXagitavit jam annos aliquot, benevole Lector, florentissimas ante hac Belgicæ Federatæ, atque imprimis Hollandiæ & West-Frisiæ, Ecclesias Reformatas triste ac noxium in Doctrina dissidium, cujus infausti rumores quin variè subinde deferantur, multosque variè afficiant, apud exteras Ecclesias, nulli dubitamus. Primordia funesti hujus dissidij conspecta fuerunt in Academia Leydensi, postquam in præstantissimi Theologi D. Francisci Iunij locum in professione Theologica surrogatus esset D. Iacobus Arminius. Cepit is doctrinæ receptæ capita nonnulla primò in dubium vocare, & sugillare, deinde reprehendere, ac denique ijs apertè contradicere. Ministri nonnulli Ecclesiarum, atque imprimis juvenes S. Theologiæ consecrati, quorum studijs præerat, in partes & sententiam, ipsius transibant, passimq; per Ecclesias cum reliquis Ecclesiarum pastoribus de doctrina concertabant. Ecclesiæ Hollandicæ solicitæ ne hæc res in apertam contentionẽ erumperet, & schismati occasionem præbere posset, ut maturè huic malo occurreretur, & doctrinæ sinceritati atq; unitati consuleretur, sæpius per Deputatos suos D. Arminium monuerunt, ut si quid haberet adversus doctrinam receptam, in Synodo legitimè proponeret, atq; Ecclesiis rotundè exponeret. Sed maluit ille in Prætorio caussam suam agere, ac proinde sententiam suam de nonnullis doctrinæ capitibus in Confessu Illust. DD. Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ patefecit, qui mandarunt, ut super illa cum D. Gomaro publicè conferret. Hinc binæ inter ipsos Collationes publicæ mandato Illust. D D. Ordinum sunt institutæ. Prior habita fuit coram Senatoribus Supremæ Curiæ, præsenti-

bus nonnullis Verbi diuini Ministris. Altera in ipso Ill. D D. Ordinum consessu, qua vixdum finita D. Arminius diem suum obijt. Pastores, qui in ipsius partes jam transiverant, rogati ab Ecclesiis, ut si quas adversus receptam doctrinam sive considerationes, sive opiniones haberent (habere autem rotundè profitebantur) eas in Classibus suis vellent reliquis Symmystis manifestare, ut secundum Ecclesiarum Ordinem de ijs dispici possit. Illi, obtentis eam in rem Illust. D D. Ordinum literis, considerationes suas ad Confessionem & Catechesin obsignatas Ill. D D. Ordinibus exhibuerunt, tandemque inconsultis reliquis Symmystis suis, atque inscijs & præteritis Ecclesiis, Remonstrantia quadam, ut vocant, seu Libello supplice, ijsdem D D. Ordinibus sententiam suam de Prædestinatione, de Fructu mortis Christi, de gratia D E I & libero hominis arbitrio, & de Perseverantia Sanctorum, quinque Articulis comprehensam exposuerunt, ac rogarunt, ut Illust. D D. Ordinibus Placeat ipsos ipsorumque munia protegenda suscipere adversus omnes Ecclesiasticas censuras, utque Ecclesiis mandetur, ne quisquam propter hanc ipsorum sententiam, sive jam in ministerio versetur, sive ad illud primùm sit admittēdus, gravetur aut reijciatur. Ab hac Remonstrantia postmodùm, distinctionis caussa, R E M O N S T R A N T E S dicti fuerunt. Ill. D D. Ordines eos in protectionem receperunt, mandaruntq; Ecclesiis, ut in examinibus illorum, qui recēs ad Ministerium Verbi essent admittendi, de hisce capitibus aut sententiam eorum non inquirerent, aut si cum Remonstrantibus sentirent, propterea eos non rejicerent. Reliqui Pastores indicarunt Illustr. D D. Ordinibus quinq; illos Articulos, quibus Remonstrantes sententiam suam exposuerant, nec cum Verbo D E I, neq; cum Formulis Consensus in Doctrina, scilicet Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum, consentire: seq; paratos esse idipsum, quandocunq; Illustr. D.D. Ordinibus visum fuerit, perspicuè demonstrare: atq; etiam simul commonstrare plura esse doctrinæ Capita, eàq; majoris momenti, in quibus nonnulli Pastores à recepta doctrina dissentirent. Illust. D.D. Ordines

censuerunt

censuerunt hac de re instituendam in ipsorum Conventu inter partes Collationem, quæ Hagæ habita fuit anno undecimo. Finita Collatione utrimq; rogatæ fuerunt ab Ill. D D. Ordinibus partes, ut statum Controversiæ exactè formarent, & consilium Ill. Ordinibus darent, qua ratione existimarent controversias hasce commodissimè sopiri posse. Remonstrantes declararunt nullam concordiæ rationem sibi certiorem videri, quam ut inter partes statuatur mutua Tolerantia: Reliqui Pastores, qui Contra-Remonstrantes postea etiam appellari ceperunt, respondérunt nullam sibi videri convenientiorem rationem, quam ut negotium referatur ad judicium Ecclesiarum Reformatarum, utq; eum in finem Illustr. D D. Ordinibus placeat decernere & intercessione sua apud Præpotentes D D. Ordines Generales procurare, ut Synodus Nationalis primo quoq; tempore convocari & haberi posit, utq; scripta utrimq; exhibita, de quinque istis Articulis, offerantur Synodo isti Nationali, ut ab ea juxta Verbum D E I examinentur, ac legitimè dijudicetur, utranam sententia cum Verbo DEI consentiat, ac proinde in Reformatis hisce Ecclesijs doceri possit. Vtque in ea ipsa Synodo talis ratio atque ordo de communi sententia ad conservandam deinceps unitatem in doctrinu sanciatur, qualis ex unanimi consensu ad conservationem Euangelicæ veritatis & pacis Ecclesiarum videbitur esse quam maximè utilis. Scripta adversaria hujus Collationis postea autoritate Ill. D D. Ordinum fuerunt edita, atque ante biennium Latina sunt Facta. Illustr. Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ diu deliberaruut utrius partis consilium hic sequi deberent, variantibus hac in parte Civitatum suffragijs. Tandem major civitatum pars inclinavit ad consilium Remonstrantium, ac decrevit pluralitate suffragiorum, imperandam omnibus Ecclesiarum Ministris hanc mutuam Tolerantiam. Eum in finem conceptum ac promulgatum fuit Decretum nomine Illust D D. Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ, quo Tolerantia ista certis limitibus circumscripta Ecclesijs imperatur, Reliquæ Civitates, quæ in hoc Decretum non consenserant, protestatæ fuerunt

in negotio Religionis præsertim tam gravi, pluralitate suffragiorum nihil statui debere in præjudicium alterius partis, ac proinde hoc Decretum nondum Legis vigorem obtinere debere, quam diu reliquarum civitatum suffragia non accesserint. Ministri Ecclesiarum, qui Contra-Remonstrantium Sententiam sequuntur cum ab ipsis postulatum fuit, ut huic Decreto obtemperare velint, declararunt se hoc salva conscientia non posse promittere, duas potissimum ob causas: quarum prima est, quod arbitrentur Decretum illud non spectare ad Tolerantiam mutuam sententiarum, sed ad condemnationem suæ sententiæ, cui proinde ipsi non possint subscribere: quin etiam in illo Decreto imperari ipsis ut sententiam Remonstrantium de Conditionali Electione populo infigant, quam non credunt, ac proinde etiam promittere non possunt eam se docturos esse: Secunda est, quod Decretum illud præsupponat tolerabile esse in Ecclesijs Reformatis, ut Remonstrantium sententia in ijs doceatur, quod Contra-Remonstrantes putant adhuc esse in quæstione, atque de ea Iudicandum esse in Synodo Nationali. Interim Remonstrantes, favore Magistratuum, eorum maximè qui in hoc Decretum consenserunt, passim publica Ministeria, invitis plerumque Ecclesijs, occupant, reliquos, qui sententiæ suæ addicti non sunt, excludunt, & nonnullos etiam ex Miniterijs eijciunt. Vnde extiterunt ac quotidie existunt in quam plurimis Ecclesijs gravissimæ dissensiones & turbæ. Ecclesiæ enim quibus Pastores Orthodoxi eripiuntur, aut quibus invitis Remonstrantes obtruduntur, passim sibi prospiciunt de cultu in separatis cætibus, quos Remonstrantes gravissimis Magistratuum mulctis & interdictis dissipare atq; impedire conantur. Rebus ita comparatis, & dissentionibus quotidie magis magisq; ita gliscentibus, ut res videretur spectare non tantum ad Ecclesiarum vastitiem, sed etiam ad Reipub. perturbationem, Potentissimus Magnæ Britanniæ Rex, Illustrissimus Princeps Mauritius, atque Ill. Ordines vicinarum Provinciarum Geldriæ, Zelandiæ, Frisiæ, Groningæ & Omlandiæ, solenniter Illust. Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ monuerunt ac rogarunt, quan-

quandoquidem pax ejusmodi Decreto Ecclesiis restitui nequit, uti apparet; ut simul omnes consentire velint, ut tota hæc causa deferatur ad Synodum Nationalem, ad quam etiam evocentur ex vicinis Regnis & Rebuspublicis alij nonnulli docti, pacifici, & prudentes viri, qui consilio suo hanc Synodum juvent, ut tanto maturius atque exactius omnia examinari, ac tanto majori cum consensu, fructu & facilitate dissensiones hæ componi possint. Multæ Hollandiæ & West-Frisiæ Civitates hoc remedium, ut usitatissimum semper in Ecclesia, ita etiam tutissimum, convenientissimum, atque hoc tempore etiam necessarium semper judicarunt: cæterùm à majori Civitatũ parte hactenus non potuit impetrari, ut illæ in hoc remedium consentire velint, quod multi existimant potissimùm fieri intercessione Remonstrantium, qui verentur ne ipsorum causſa hujus Synodi judicio condemnetur. Dum hæc geruntur, Remonstrantes, quia animadvertebant omnium harum dissensionum, turbarum, & difficultatum causſã & invidiam in ipsos reijci, utpote qui introductione novæ doctrinæ ijs occasionem dederint, ut hanc labem atque invidiam abstergeant atque amoliantur, exhibuerunt nuper Ill. D.D. Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ secundam Remonstrantiam, in qua conantur probare non ipsos, sed ipsorum adversarios Contra-Remonstrantes Novitates in hasce Ecclesias introducere. Contra-Remonstrantes eidem opposuerunt Responsionem, quam etiam ijsdem Ill. D.D. Ordinibus haud ita pridem obtulerunt. Vtraque hæc scripta, quia publico utriusque partis nomine sunt edita, & controversiarum in Ecclesijs Belgicis agitatarum explicationem & brevem & perspicuam continent, operæpretium judicavi me facturum, si in tui gratiam, benevole Lector, ex Belgicis Latina facerem, ut ex illis de nostris Controversijs plenius cognoscere possis. Tu fruere, & DEVM pacis pro pace Ecclesiarum Belgicarum nobiscum ardentibus votis comprecare.

II.

REMONSTRANTIA,

seu

LIBELLVS SVPPLEX,

Exhibitus Illustribus Hollandiæ & West-Frisiæ ORDINIBVS, à Ministris Ecclesiarum Hollandicarum, qui *Remonstrantes* vocantur, in Aprili Anno 1617.

Potentibus ac Nobilibus Dominis, D.

ORDINIBVS HOLLANDIAE & VVEST-FRISIAE.

Nobiles & Præpotentes Domini,

MInistri Ecclesiarum, Illustr. D D. vestrarum subditi, qui Anno 1610, gravamina sua super nonnullis dogmatibus Remonstrantia, seu libello supplice, indicarunt, ac propterea REMONSTRANTES vocantur, ut conscientijs suis coram DEO, & Illustr. D D. V. supremo ipsorum Magistratu, satisfaciant, cõstringi se sentiunt, ut hoc libello omni cum subjectione indicent, se animadvertere adversarios ipsorum *Contra-Remonstrantes*, nonnullis Illust. Consessus vestri membris, atque adeo ipsi etiam Illustrissimo Principi *Mauritio* hanc persuasionem impressisse, sententiam Remonstrantium dicta Remonstrantia comprehensam, de Prædestinatione & annexis ei articulis, ab *Arminio*, aut quodam alio, ipsius tempore, aut

Remonstrantes injustè accusantur.

re, aut paulò ante, primùm esse propositam, ac proinde *Novam esse doctrinam*, quæ pugnet cum doctrina primæ Reformationis, & recepta in Ecclesiis Reformatis: atque hanc impressionem Illust. D D. V. impedimento esse, quo minus Decreta illa vestra de Moderatione & Tolerantiâ in illis articulis servandâ, unanimiter statuantur atq; observentur: adversus quã Tolerantiam Contra-Remonstrantes, eorumq; sectatores, ita sese armant, ut conjurationẽ generalem, per universam regionem, in urbibus, & pagis, per subscriptiones, aliaque media institutam, videantur fecisse, cujus finis ac scopus revera alius non est, quam prius formatum chisma passim facere: ac deinde (tametsi hæc non ita apertè dicant) Remonstrantes eorumque doctrinã dicta Remonstrantia expressãac simul etiam Ill. DD. V. legitimam ac Christianam Autoritatem in rebus Ecclesiasticis planè atq. omninò opprimere: idque sub pretextu dictæ & Remonstrantibus injustè imputatæ Novitatis, quam ita resonare faciunt, ut videantur Remonstrantes nullo haberi in pretio, quò Amstelodami atque alibi, ubi Remonstrantium Doctrina publicè non docetur, tam his qui ipsorum sententiæ sunt addicti, congregationes Christianæ concedantur (quando quidem Illust. D D. V. decreta negligenda sunt, & corpus Christi scindendum, quod sane coram DEO dolendum est,) quam aljis conceditur, immô etiam suadetur, ut pro ipsorum libitu, invitis ipsorum Magistratibus particulatibus, ipso facto, ac quasi vi, Ecclesias clandestinas erigant. Qua de caussa Remonstrantes necessarium judicarunt Illust. D D. V. omni cum subjectione indicare, maximoperè ipsos admirari, & contristari, hodie, in Ecclesia Reformata, veritatem divinam odioso *Novitatis* nomine suspectam reddi. Hoc argumento utebatur Haman adversus Iudæos, ut illos extirparet. *Esther. 3.* Idem vociferabantur Athenienses adversus Paulum, cum Euangelium eius rejicerent. *Act. 17.* Eodem utebatur gentilis inde Celsus adversus Christianos: ita ut, testante Eusebio, Doctrina Christiana passim per ludibrium aliena & *Nova* doctrina appellaretur. Idem Pontificij & Iesuitæ semper in ore habent, ac contra Reformationem nostram objiciunt, sed recte & solidè à majoribus nostris, nobisque responsum est verbis Domini nostri Iesu Christi, *A principio non fuit ita*: & verbis Apostoli Pauli, *Ego accepi à Domino, quod tradidi vobis*: cum Ignatio Apostolorum discipulo, *Iesum Christum esse nostram antiquitatem*: & cum Tertulliano: *Veritatem* DEI *non admittere ullam præscriptionem, nec duratione temporum, nec patrocinio personarum, nec privilegio regionum.* An non igitur mirum est nos nobis invicem *Novitates* ex-

Conjuratio generalis Contra-Remonstrantiũm contra Tolerantiã.

Conantur Remonstrãtes autoritatem legitimã Magistratus in Ecclesiasticis oppri mere.

Quomodo iam olim Veritas divina odioso Novitatis nomine suspecta sit teddita.

Quomodo Reformatores eis respõderint.

probrare, quibus pridem tantum negotij fuit *Antiquitate S. Scripturæ* totam Reformationem noſtram à calumniâ Novitatis adverſus Pontificios vindicare? Si itaque Remonſtrantes ductum S. Scripturæ ſequuntur, (uti faciunt) quomodo poterunt Novitatis accuſari? Sin minus: Probetur. Hæc enim via eſt compëdioſiſſima. Inventa enim veritate & Antiquiſſimum erit inventum. Hæc objectio coloris aliquid habitura eſſet, ſi probari poſſet ſententiam Remonſtrantium in dictis Articulis novam eſſe reſpectu *Antiquitatis primitivæ Eccleſiæ*, poſt tempora Apoſtolorũ: nam ejuſmodi antiquitas apud omnes Chriſtianos iure meritoque in magno habetur pretio. Sed hic Contra-Remonſtrantes nihil omnino habent, quod producãt. Si putant ſe aliquid habere: agedũ audiantur primi Patres, atque ex ipſorum libris controverſiæ decidantur. Quæ ergo hæc Novitas, cui opponatur Antiquitas quadraginta aut paulò plurium annorum? An æquum erit, Illuſtres Domini, eos à quorum partibus ſtat Antiquitas S. Scripturæ & primitivæ Eccleſiæ tot centuriarum annorum, (de qua Remnnſtrantes certo perſuaſi ſunt) premi Antiquitate quadraginta annorum, etiamſi eam ipſis concederemus, quod tamen non facimus. Talis Antiquitas nihil aliud eſſet quam Novitas, ſeu Iuventas, quando canæ Antiquitati S. Scripturæ ac primitivæ Catholicæ Eccleſiæ comparatur. Calvinus ſcribens Regi Galliæ rectè dicebat: *Qui ſciunt Pauli concionem, qua docet Chriſtum eſſe mortuum propter peccata noſtra, & reſuſcitatum ad Iuſtificationem noſtri, antiquam eſſe; apud nos nihil novi reperient.* Hanc concionem toto corde approbamus. Quare qui nobis convitium faciunt, ut Novitatum doctoribus, ſeque à nobis ſeparant, viderint quid faciant: reddituri aliquando ſunt rationẽ. Piget Remonſtrantes maximoperè, Ill. DD. miſerũ hoc & pudendũ apud Reformatos argumentũ hodie produci, cujus uſum ut maximam Novitatẽ contra Reformationem noſtram nos merito & pleno ore rejicere debebamus. Cæterũ ut hac quoq. in parte ipſis ſatisfiat, dicunt Remonſtrantes ſententiã ipſorum dicta Remõſtrantia expreſsã nullo modo novã eſſe, ne quidẽ reſpectu initij Reformationis tam in Germania, aliiſq; regionibus, quã in noſtris.

Philippi Melanchthonis libri, in quibus ſententia Remonſtrantium docetur, prius ac diligentius lecti fuerunt, pluresque ad ſeceſſionem à Papatu faciendam permoverunt, quam libri *Calvini* & *Bezæ*, in quibus ſententia Contra-Remonſtrantium rigidiſſimè docetur. Sententia Melanchthonis etiam in Electorali Palatinatu, atq. aliis in Germaniæ locis, prius recepta fuit, antequã Calvini ſen-

Sententia Remonſtrantium antiqua eſt reſpectu S. Scripturæ.

Etiam reſpectu primitivæ Eccleſiæ

Antiquitas 40 annorum de qua gloriantur Contra-Remonſtrantes

Novitas eſt reſpectu S. Scripturæ & primitivæ Eccleſiæ.

Pudendo Novitatis argumento uti, eſt novitas apud Reformatos Remonſtrantium ſententia antiqua eſt reſpectu primæ Reformationis in Germania, Melanchõ.

Palatinatus

tentia ibidem radices egerit : quemadmodum etiam hodieque Reformatæ Germanicę Ecclesiæ, ut secundum Imperij constitutiones subsistere possint, utuntur nomine *Confessionis Augustanæ*, quæ in hac materia Contra-Remonstrantium sententiam non docet. Confessio reformati Principatus *Anhaldini* planè etiam consentit cum Remonstrantibus. Quid *Ioachimus Vadianus, Casparus Cruciger, Casparus Hedio, Casparus Peucerus*, aliisque insignes viri, qui propter veritatem Reformatam plurimum perpessi sunt, de hac materia senserint, liquet ex ipsorum scriptis, nimirum omnes eos in fundamento ferè cum Remonstrantibus consentire. Etiam in Comitatu *Nassovienſi* prius cognitus fuit *Erasmus Sarcerius*, quam *Ioannes Piscator*, qui ibidem hodie de Prædestinatione tam sublime docet, ut *Molinæus* Minister Ecclesiæ Parisiensis eidem in literis suis nuper Gallicè editis (quamvis hæc literarum pars in editione prioris epistolæ perfidè sit omissa) apertè contradicat. Sarcerius hic anno 1546. Senatui Vallis Ioachimicæ dedicavit Locos suos Communes Basileæ impressos, addita epistola dedicatoria scripta Dillenburgi, in quibus de Articulo de Prædestinatione & annexis ei articulis plane idem dicit, quod Remonstrantes. Celebrem illum *Henricum Bullingerum* in *Helvetia* magis stare à partibus Remonstrantium, quam Contra-Remonstrantium, ex ipsius scriptis omni tempore probari potest. Atque hic est author libri, cui titulum fecit *Decades*, (nostrates *Het Huys-Boeck* vocarunt) qui liber ab initio Reformationis diligentius in hisce regionibus lectus semper fuit quam ullus alius, exceptis Bibliis. Posset etiam ex actis Synodalibus primæ Reformationis demonstrari hunc librum Ecclesiis fuisse publice commendatum, ut in cœtibus, in quibus propter Ministri defectum viva vox audiri non poterat, legeretur. Si diversos libros Anglicanos, alia quam Anglicana lingua scriptos, haberemus, probari ex illis posset, in prima Reformatione Anglicana Contra-Remonstrantium Prædestinationem non fuisse doctam : sed fuisse aliquos (inter quos *Latimerus*, qui vixit tempore Eduardi VI. & tempore Mariæ ut fortis Martyr oblatus est) qui conquerebantur de nonnullis (uti eos vocabant) *novis spiritibus*, qui heterodoxam doctrinam intro-ducebant, denotantes doctrinam illam, quæ hodie etiam à Contra-Remonstrantibus ex parte docetur : quæ doctrina quamvis progressu temporis ibidem multos nacta fuerit sectatores, non potuit tamen antiquam & primam doctrinam ita penitus opprimere, quin eadem ibi semper manserit, atq; adeo etiam publicè in Prælaturis & Profeſſioni-

Confessio Augustana. Anhaldina.

Vadianus Cruciger. Hedio. Peucerus

Nassovia. Sarcerius.

Helvetia. Bullingeri Decades.

Anglia.

Latimerus.

fessionibus protecta fuerit, sicuti patet in *Petro Barone* Professore Catabrigiensi, aliisque insignibus viris. Qui legerint ea quæ *Ioannes à Lasco* scribit de statu primo Ecclesiarum Belgicarum in Anglia, anno 1550. temporibus Eduardi, facile judicabunt ibidem de Contra-Remonstrantium Prædestinatione haud multam factam fuisse mentionem: quin potius in illis docta fuisse nonnulla, quæ planè cum sententiâ Remonstrantium congruebant.

Baro.

A Lasco.

Sed ut ad has redeamus regiones, una cum libris Melanchonis & Decadibus Bullingeri, de quibus jam mentionen fecimus, nullus libellus à populo nostro diligentius fuit lectus, ab initio Reformationis, quam libellus *Anastasij Veluani* Pastoris Garderensis in Velavia, cui titulum fecit *Der Leecken Wech-wyser*, id est, Hodegus Laicorum, & quem dedicavit Nobilibus & Civitatibus Ducatus *Geldriæ* & Comitatus *Zutphaniæ*, anno 1554. in quo libello agens de Prædestinatione & annexis ei dogmatibus clarè loquitur cum Remonstrantibus. Libellus hic etiam vehementer commendatur ab Henrico Anthonide Professore Franekerensi, ut pius & utilis libellus. Anastasius ipse etiam propter Euangelicam veritatem multa esse perpessus. Multi in hisce regionibus Ministri obierunt, aliqui adhuc sunt in vivis viri senes, qui declarârût, atq. etiamnunc déclarant, sese nunquam aliter sensisse, quâ nunc sentiunt Remonstrantes in hac materia, atq; etiam per occasiones sententiam suam aliquando docuisse. *Roterodami* sunt qui narrant de quodâ *Ioanne Isbrandi*, eum cum ibidem in initio Reformationis doceret, & de Calvini Prædestinatione audivisset eandé jam tum isto tempore publicè refutasse: & membra quædam ejus Ecclesiæ seniora cum animadverterent nonnullos conari eam in Ecclesiam introducere, propter eam ab Ecclesia secessionem feciisse. *Clemens Martini* olim Minister Ecclesiæ *Hornanæ*, qui suo tempore reliquos senio superabat, sæpius professus fuit se ab initio ministerij sui de Prædestinatione aliam non habuisse sententiam, quam Melanchonis, eamque didicisse ab *Hardenbergio*, qui primus fuit inter Reformatos Pastores *Emdenses*. In provincia *Vltrajectina* in prima publica Reformatione congruenter sententiæ huic doctum fuit tam maturè, si non maturius, quam accesserunt reliqui qui aliam sententiam docuerunt. Notum est etiam in urbe *Goudensi* sententiam hanc publicè ad hunc usque diem fuisse protectam, & nihilominus Ecclesia illa, ejusque Ministri, pro membris Ecclesiæ Reformatæ fuerunt habiti. Inter Remonstrantes sunt nonnulli, quibus *Syntagma Nicolai Hemmingij* Superintêdentis in *Dania* Genevæ

Regiones Belgicæ.

Geldria. Zutphania. Anastasius Veluanus.

Ministri senes.

Rotterodamum. Ioannes Isbrandi.

Horna. Clemens Martini.

Vltrajectum.

Gouda.

Dania. Hemmingius.

impressum, commendatum fuit Genevæ, ut idipsum diligenti studio perlegerent, atque ex eo prima ponerent studij sui Theologici fundamenta: in quo Syntagmate sententia Remonstrantium diserté traditur: quod etiam ab eo tempore ita ipsis allubuit in illa materia, ut postea eius ita non potuerint oblivisci, quin semper cogitatio illa remanserit, hanc sententiã Scripturæ, simplicitati, atque ædificationi fortè esse congruentissimam. In *Frisiâ* hæc sententia etiam publicis scriptis docta & propugnata fuit à *Gellio Snecano* Ministro ibidem, neq; propterea ab Ecclesijs Reformatis cõdemnatus fuit. Idem Snecanus solet dicere in initio Reformationis in istis oris Ministros illos, qui sententiam quam Contra-Remonstrantes nunc tuentur, docebãt, habitos fuisse pro iis, qui Novitates docerent. Ab initio Reformationis crebræ disputationes *in hisce regionibus*, (quod etiam Illust. D D. V. optimè constat) fuerunt super hisce articulis habitæ: quin etiam in Academia Leydensi dudum ante Arminij tempora eadem sententia docta fuit, uti patuit in *Holmanno*, SS. Theologiæ Professore, commendato à D. Beza, qui iudicabat Theologiam illius, id est, Melanchonianam in hisce regionibus maximè esse idoneam ad ædificationem. Quare neque unquam Illust. DD. V. permiserunt, ut quisquam tantum propter hanc sententiam censura Suspensionis aut Remotionis à munere docendi notaretur. Caussa *Cornelii Viggeri* Ministri Hornani aliter se habebat, quam nunc se habet caussa Remonstrantium. Nam totum ejus negotium simul colligatum aliter se habebat, ac quamvis Professores Academiæ Leydensis doctrinam eius censura notassent, non fuisset tamen autoritate Illust. DD, V. abdicatus, uti apparebat, nisi declarasset contrariam aliarum Ecclesiarum doctrinam intolerabilem, & solemniter ejusdem reformationem postulans, se ab Ecclesiis Reformatis separasset, ejisdemque fraternitatem renunciasset. *Clemens* autem *Martini*, & *Cornelius Meinardi* collegæ ipsius, usque ad extremum vitæ ipsorum, in publico ejusdem Ecclesiæ ministerio permanserunt, tametsi in quadam Apologia seu confessione typis publicata, rotundè profiteantur, se assentiri sententiæ Remonstrantium, allegantes etiam pro se decreta quædam Synodorum & Classium Hollandiæ; quæ Apologia adhuc extat. In *Synodo Harlemensi* jam tum anno 1582. quærebatnr & deliberabatur: quandoquidem Ministri aliqui in doctrina de Prædestinatione suas haberent difficultates, quousque Minister aliquis in eo tolerari debeat: sed de illa quæstione nihil statuebatur. Quod ad *Arminium* ipsum attinet, illustrius testimo-

Frisia, Gellius Snecanus.

Hollandia.

Academia Leydensis.

Holmannus.

Viggerus.

Horna.

Synodus Harlemensis, Anno 1582.

Arminio datum testimonium ab Amstelodamensibus.

testimonium de doctrina & vita nō posset ulli Ministro dari, quam quod Amstelodamensis Ecclesia ei Leydam discendēti dedit, quamvis satis scirent eum in articulo de Prædestinatione diversum sentire, atque eam ob causam (uti nunc quidem dicunt) promotionem ejus ad Professionem Leydensem minus probarent.

Ac, quod majus est, si quis toti *membrorum Ecclesiarum Reformatarum multitudini* sententiam Remonstrantium & Contra-Remonstrantium nudè & sincerè uti revera se habet, coram DEO atque Angelis ipsius proponeret, eum in finem ut sine aliquo affectu præpostero aut præjudicio, quo plurimi miris artificiis sunt præoccupati, rotunde responderent, quam nam ex duabus hisce sententijs arbitrentur in conscientia antiquissimam atque optimam esse, pateret per experientiam, longè majorem partē declaraturam se stare in sententia Remonstrantium. Notum quoque est multos deserere Remonstrantes ex perversa opinone quam conceperunt, scilicet Remonstrantes docere illud quod docent Contra-Remonstrantes: cujus rei exempla non uno in loco deprehensa fuerunt. Membra Ecclesiæ probē instituta.

Si ulterius procedere velint, & objectam nobis Novitatem probare ex Confessione & Catechesi, neque hic materiam invenient, qua sententiam Remonstrantium de Novitate suspectam reddere possint. Nam ut Remonstrantes hic prætereant, quod etiam verum est, nimirum scripta hæc olim non fuisse recepta pro *Regulis veritatis*, sed tantum pro *Formulis unitatis*, quæ veritas semper ad solum Dei verbum probari atque examinari debet, ac proinde semper ad Dei Verbum examinabilia sunt ac manent, Remonstrantes rotundè dicunt, controversias hasce hodiernas ex neutro horum scriptorum decidi posse: quoniam termini, qui ibi extant, etiam in XVI. articulo Confessionis, in quo agitur de Prædestinatione, hujusmodi sunt, ut sub iis tam Remonstrantium quā Contra-Remohstrantium sententia comprehendi possit: præsertim in articulo, prout extat in primis editionibus, nam in posterioribus editionibus magna pars articuli omissa est. In Confessione etiam ne unum quidē extat verbum, quod vel minimum adversetur Remonstrantium sententiæ de Morte Christi, de Operatione gratiæ, & de Perseverantia, sicut neque ullum extat, quod Constra-Remonstrātium sententiā confirmet. Dici itaq; non potest Ecclesias hanc Re-Confessionē recipientes magis Contra-Remonstrātium quam Remonstrantiū sententiam amplexas fuisse. At vero si Contra-Remōstrantiū sententia, qualem quidē nunc docent, in eodē foret definita (quod quidē ita se non habet) impossibile foret hāc Confessionē Remonstrātium sententia non est nova respectu Confessionis.

veram

veram posse servare Harmoniam cum alijs Confessionibus aliarum Europæ Ecclesiarum, ac præsertim non cum *Augustana*, neque cum *Helvetica*, cui Genevensis Ecclesia se adjunxit, sed in hisce dogmatibus discreparet ab omnibus alijs Ecclesijs Reformatis.

Neque nova est respectu Catechismi.

Quod ad *Catechismum* attinet, cujus subsignatio olim à Ministris non postulabatur, neque ex eo potest antiquitas Doctrinæ Remonstrantium de Prædestinatione, de Morte Domini nostri Iesu Christi, & de Gratia Dei irresistibili comprobari, sed potius contrarium, uti postea ostendetur. Putatur Remonstrantibus adversari in articulo de Perseverantia, sed loca talia sunt, ut nisi commodè explicentur, ipse Catechismus secum consistere nequeat, præsertim in eo, quod docet de Pædobaptismo & de Excommunicatione. Nam si nemo à Gratia Dei excidere potest, necesse est ut omnes infantes Baptizati pervenientes ad adultam ætatem probos Christianos ad finé usque vitæ suæ esse permansuros: de quo experientia contrarium docet. Aut dicendum erit aliquos infantes baptizari, quibus interna Baptismi gratia non communicetur, quod cum 74. quæst. Catech. & cum Formula Baptismi administrandi pugnat, ac Baptismum etiam inanem reddit. Si nemo etiam potest à Gratia excidere, nemo etiam à Deo ipso ex regno Christi excludi potest per Excommunicationem, quod tamen Catechesis docet quæst. 85. Ex hisce omnibus Illust. DD. V. perspicuè intelligere possunt Contra-Remonstrantes in hisce controversis articulis non posse gloriari de ulla Antiquitate, ne quidem respectu primæ Reformationis, & receptæ harum Ecclesiarum doctrinæ. Horum omnium uberiorem probationem Remonstrantes parati sunt proferre, productione librorum, & ostensione locorum, quando idipsum Illust. DD. V. visum fuerit.

Quomodo Catechismus sit considerandus quod attinet ad Perseverantiam

Novitates quas Contra-Remõstrantes docent.

Iam porrò Remonstrantes Illust. DD. V. indicabunt, utpote qui hac occasione eò constringuntur, diversas Novitates quas Contra-Remonstrantes docent contra primam Ecclesiarum Reformationem. 1. *Gomarus, Festus, Triglandius* alijque docent *Deum aliquos homines creasse ad condemnationem.* Hæc est Novitas contra Catechismum, qui docet quæst. 6. Deum creasse hominem ut cum ipso in æterna beatitudine viveret. 2. Iidem docent, *Deum hominem necessitare ad peccatum.* Hæc etiam est Novitas contra Catechismum, qui dicit quæst. 6. Deum creasse hominem rectum & ad imaginem suam: & quæst. 9. Hominem seipsum & omnes ejus posteros instinctu Diaboli & voluntaria inobedientia eisdem donis spoliasse. Etiam contra Confessionem, in qua arti-

Prima.

Secunda.

culo

culo 14. dicitur hominem seipsum sponte & voluntariè peccato subjecisse. Quare Molinæus rectè dicit in Epistola sua (scilicet in illa parte, quæ in editione omissa est) loquens de tali doctrina, eidemque in nonnullis doctoribus nostris contradicens, Ecclesias nostras nunquam eam recepisse. 3. Confessio nostra docet arti- Tertia.
culo 14. *post lapsum in homine remansisse exiguas aliquas scintillas excellentium donorum, quæ à Deo acceperat.* Quidam Contra-Remonstrantes nolunt hoc amplius doceri, ac propterea in quodam loco publicas conciones reliquerunt, ac profugerunt ad Ecclesias separatas. Quinetiam author libri editi adversus Testimonia, quibus Illust. DD. V. Decretum munitur, allegans eundem articulum hæc verba dedita opera transilijt & omisit. quod iterum sapit Novitatem. 4. In Catechesi docetur quæst. 37. *Christum* Quarta.
iram Dei adversus peccata totius generis humani tulisse. Hoc Nassovienſis Theologus censura notat, & Contra-Remonstrantes nostri in certis quibusdam ipsorum articulis vocem *totius* studio omiserunt, non sine notabili Novitate. 5. Catechesis ablegat Quinta.
nos passim *ad promissiones Euangelij, & earundē obsignationem per Sacramenta*, ut ijsdē fides nostra firmiter & certò innitatur. Contra à Contra-Remonstrantibus docetur *Deum multos vocare atque invitare secundū voluntatem suam revelatam, quos absolutè à salute excluſit secundum arcanam voluntatem suam.* Hæc quoque est Novitas. 6. Eadem Catechesis docet quæst. 54. & 65. Ecclesiam Sexta.
colligi, & fidem in animis hominum effici per Dei Spiritum & Verbum. Est igitur Novitas docere *hoc fieri per virtutem irresistibilem.* 7. *Donteclockius* & nonnulli alij Contra-Remonstrā- Septima.
tes *nolunt ut parentes Christiani certo & firmiter credant infantes ipsorum baptizatos & in infantia morientes salvos fore, sed eos idipsum tantum ex conjectura & secundum charitatem posse sperare.* Hæc est Novitas contra Catechesim quæst. 74. & contra Formulam administrandi Baptismi, ubi tres testes, scilicet Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, dicuntur testificari hosce infantes à Deo in Filios adoptari, in sanguine Christi ablutos esse, & justos coram Deo censeri. 8. *Amstelodami* interrogantur Parentes & Octava.
Susceptores, qui infantes suos offerunt baptizandos, an non fateantur doctrinam *quæ in illa Ecclesia docetur*, veram & perfectam doctrinam salutis esse. Hæc quoque Novitas est contra receptas Formulas passim in Ecclesijs usitatas, in quibus hoc tantum interrogatur de doctrina contenta in Veteri & Novo Testaméto, & *quæ secundum eam in Christiana Ecclesia docetur*, neque additur

de doctrina quæ hic aut alibi docetur: quæ res haud exigui est momenti, & facile homines illaquearet. 9. Nunquam sententia
Nona. Remonstrantium in ullo Concilio, Synodo, aliove legitimo conventu condemnata est, neque quisquam unquam propter eam Christiana communione indignus est declaratus. Remonstrantes vero *damnant sententiam nostram nosque indignos communione Christiana pronunciant*, quare Novitate introducunt in Ecclesiam Dei, quæ etiam directe pugnet cum Catechesi, in qua, ubi quæritur quæst. 22. quid sit Christiano creditu necessarium, respondetur: Omne id quod in Euangelio promittitur, & articulis
Decima. catholicæ & indubitatæ Christianæ fidei nostræ breviter continetur. 10. Septimo Confessionis articulo docetur nulla scripta hominum quanta-vis etiam sanctitate præditorum, comparari posse cum sacra Scriptura, nec consuetudinem cum veritate DEI, &c. est itaque Novitas cum Confessionem & Catechesin, quæ utraq; scripta sunt humana, a Ministris *subsignari volunt non tantum ut Formulas unitatis*, secundum usum veterem, *sed etiam ad testificandam doctrinæ sanitatem*, quemadmodum statutum fuit in Synodo Roterodamensi, anno 1605. quod nihil aliud est, quam humana scripta alteram Regulam fidei facere, atq; etiam juxta sacram Scripturam collocare. Quamobrem etiam noluerunt ut eadem scripta in Synodo Nationali secundum usitatam consuetudinem ex de-
Vndecima. creto Magistratus revideantur. 11. In omnibus Reformatis Regnis Principatibus, & Rebuspublicis supremis Magistratibus Christianis attribuitur suprema autoritas & inspectio in publicis negotijs Ecclesiasticis, sub D E I verbo, & secundum illud: *quod ipsum nonnulli Remonstrantes non concedunt, sed manifestè se ei sententiæ opponunt*. Hæc quoq; est Novitas. Plures sunt Novitates præter hasce, sed hæ sufficient hoc tempore, ut Illust. DD. V. ostendatur, quanta cum injuria isti, qui ipsi tot scatent Novitatibus, alios eo nomine conentur gravare.

Petitio Remonstrantium. Quocirca Remonstrantes, quam humillimè rogant atq; obsecrãtur Ill. DD. V. ne tam injustis criminationibus & calumnijs, ipsorũ damno, fidé adhibere velint, sed potius hanc ipsorum Apologiam istum in modũ perpendere, ut Remonstrantes ipsi, adeoq;
1. Ne habeantur p o Novato ibus. omnes, qui ipsorum sententiæ sunt addicti, habeantur pro talibus, qui omnibus modis sequãtur & porrò sequi desiderent S. Scripturam, primitivam Orthodoxã Christianã Ecclesiam, ac simul etiam verum & primum fundamentum Christianæ Reformationis in hisce regionibus receptæ. Ac proinde etiam ut Ill. DD. V. misereat

reat Christianorum membrorum Ecclesiæ in urbe Amstelodamensi, qui sectantes sententiam Remonstrantium, & Decreta Ill. D D. V. observantes, antiquæ & primæ Reformationi adhærere cupiunt, quiq; introductione omnium dictarum Novitatum, atq; imprimis perpetuis obtrectationibus & condemnationibus dictæ antiquæ doctrinæ, alijsque medijs, impediuntur Christianam Reformatam Religionem publice in templis ibidem exercere, ut ipsis ibidem atq; alibi etiam (si quidem ad veram unionem secundum Ill. DD. V. decreta res redigi non possunt) liberum exercitium Religionis secundum ipsorum sententiam, tam ipsis quam Contra-Remonstrantibus benignè concedatur. Quod si fiat, &c.

2. Vt Amstelodami sectatoribus sententiæ Remonstrantium separatum exercitium Religionis concedatur.

II.

CONTRA-REMONSTRANTIA,

seu

RESPONSIO REFORMATORVM ECCLESIARVM Hollandicarum Ministrorum ad secundam Remonstrantiam Ministrorum earundem Ecclesiarum, qui *Remonstrantes* vocantur,

Exhibita in confessu Illustr. Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ in Augusto hujus anni 1617. In qua clarè ostenditur doctrinam Remonstrantium novam esse in Ecclesijs Reformatis.

Quinā sint Remonstrantes.

MInistri Ecclesiarum Hollandicarum & VVestfrisicarum, qui sese à symmystis suis separantes, sine communicatione cum Ecclesijs suis, aut cum Synodis, & Classibus, extra & contra omnem rectum & receptum ordinem harum Ecclesiarum, quædam nova atque in hisce Ecclesijs Reformatis nunquam recepta dogmata per Remonstrantiam, ut vocant, seu Libellum supplicem, Illustribus & potentibus Hollandiæ & VVest-Frisiæ Ordinibus anno 1610. proposuerunt, unà cum petitione, ut hæc dogmata, quæ in nullo legitimo Ecclesiastitico conventu harum regionum unquam fuerant examinata, autoritate dictorum DD. Ordinum in Ecclesias harum regionum introducerentur, atque ipsi, omnesque dogmatum horum sectatores, ab Illust. DD. Ordinibus in protectionem, adversus omnes censuras Ecclesiasticas, reciperentur, & qui eo ipso triste & noxium schisma in benè constitutis & florentibus hisce Ecclesijs inchoarunt, & qui ea propter

REMONSTRANTES nunc vocantur, haud ita pridem iterum eodem modo secundam Remonstrantiam conceperunt, Illustr. DD. Ordinibus tradiderunt, ac postmodum etiam typis descriptam in vulgus disseminarunt; in qua declarant se necessitate quadam adactos esse, ut duo Illustr. DD. Ordinibus indicent. *Primum* est, ipsos injustè accusari quod in Ecclesias Reformatas aliquas introducant Novitates. *Secundum*, Reformatos Pastores econtrà, qui permanserunt atque adhuc permanent in doctrina recepta in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa atque explicata, & qui vulgò, quoniam se contra Remonstrantium novam hanc doctrinam eorundemque iniquas actiones opponunt, CONTRA-REMONSTRANTES vocantur, ipsos esse, qui Novitates in hisce Ecclesiis doceant. Quæ duo cum Remonstrantes ita proponant, ut manifestè à vero ubique devient, atque hæc argumentis nimis frivolis probare conentur, nos Reformati Pastores necessarium atque operæpretium judicavimus, ad veritatis defensionem, ad innocentiæ nostræ tuitionem, atque ad Illustr. DD. Ordinum, ac simul etiam Ecclesiarum nostrarum necessariam informationem, contrà sincerè ac breviter totam hujus rei seriem ac veritatem ob oculos ponere, & perspicuè ostendere Remonstrantes de introductione Novitatum in hasce Ecclesias sese frustra excusare, aliosque Reformatos Pastores injustè accusare: ut quilibet rectè cognoscere queat, quinam sint illi inter Ministros, qui introductione Novitatum caussam præbuerunt tristissimis hisce motibus ac maximis difficultatibus, quibus hodie affliguntur Reformatæ harum regionum Ecclesiæ.

Duo indicant Illust. Ordinibus Holl. & Westfrisiæ.

Principiò dicunt Remonstrantes *maximoperè se mirari & contristari hodie in Ecclesia Reformata veritatem divinam odioso Novitatis nomine suspectam reddi.* Respondemus, 1. Remonstrantes frustra gloriari dogmata ipsorum continere divinam veritatem. Contrarium enim in Collatione Hagiensi, aliisque scriptis ex verbo Dei efficacissimè probatum est. 2. Quando Pastores in eadem Reformata Ecclesia, in qua antea eadem doctrina magno cum consensu fuit tradita, ministerio simul fungentes, se invicem accusant Novitatis in doctrina, illud intelligi debere de doctrina quæ *Nova* appelletur respectu doctrinæ in ijsdem Ecclesijs Reformatis antea receptæ. Fieri enim posset, ut quis veterem aliquem Arianorum, Samosatenianorum, aut Pelagianorum errorem iterum producat, atque in Reformatas conetur introducere Ecclesias, qui licet jã olim ab alijs traditus & propugnatus fuerit, tamen

Quo sensu & respectu doctrina Remonstrantium nova dicatur.

nova doctrina appellari posset, ac meritò deberet, respectu doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum. Quamobré cum nos accusamus Remonstrantes, qui Pastores Ecclesiarũ Reformatarum haberi volunt, quod Novitates in illas Ecclesias introduxerint, eo nos significare volumus, ipsos in hisce Reformatis Ecclesiis tradere & conari in eas introducere ejusmodi dogmata, quæ in ijsdem Ecclesiis antehac nunquã tradita aut recepta fuerũt, sed quę semper ab Orthodoxis earundé Ecclesiarũ doctoribus, atq; etiam à nonnullis olim inter ipsos Remonstrantes, semper fuerunt refutata & cõdemnata.

Remonstrantes frustra exempla Ethnicorũ & Pontificiorum producunt.

Ac proinde ad rem planè nihil facit, cum Remonstrantes multis argumẽtis ostendunt, nõ omnẽ doctrinam, quæ certo respectu nova appellari posset, habendam esse pro falsa; eum in finé exempla producẽtes Ethnicorũ & Pontificiorum, inter quos illi Christianã, hi vero Réformatam Religionẽ, cum inter ipsos primum fuit prædicata, etiã odioso Novitatis nomine criminati sunt, quæ nihilhominus non desiit propterea esse vera Religio, atque in sẽ non nova sed antiquissima fuit. Quotus quisque enim est qui hæc ignoret aut diffiteatur? Idem argumentum & nos urgemus quotidie adversus Pontificios: & credimus, cum *Tertulliano, antiquissimũ esse quod verissimũ est.* Cum de Novitatibus cum ijs agimus, hoc tantũ dicimus eos doctrinam fovere, quæ nova est, respectu Reformationis nostrę. Quod ipsum, cum primũ novam hanc doctrinã proferẽt, non negabant ipsi, sed rotundè profitebantur *se diversas novas considerationes habere adversus receptã doctrinã in Cõfessione & Catechesi harũ Ecclesiarũ Reformatarũ comprehensam*, quos etiã nonnulli obsignatis epistolis putãtur ad Ill. DD. Ordines hujus Provinciæ transmisisse. Dicebãt tũc, *necessariã esse novã & accuratiorẽ Reformationẽ receptæ doctrinæ: atq; eũ in finẽ formulas cõsensus, in quibus illa declaratur, esse revidendas longè alio modo, quã antehac esset factũ.* Gloriabãtur *se novã accepisse lucem, quã primi Ecclesiarũ nostrarũ Reformatores non vidisset. Non esse dispiciendũ amplius quid antehac in hisce Ecclesijs sit doctũ, sed quid jã porrò sit docendũ.* Tũ tẽporis minimè ab ijs negabatur, sed honori ducebatur, cũ de ipsis diceretur, eos esse qui novas haberẽt cõsiderationes & sentẽtias, id est, Novitates, adversus receptã doctrinã, ut hac ratione sibi nomen accuratiorum Reformatæ doctrinæ Reformatorũ acquirerẽt. Mirũ ut sit eos hoc ãplius nũc nolle profiteri, sermonẽ omninò mutare, diffiteriq; idipsum nũc, de quo antea gloriabãtur. Animadvertunt proculdubio, õnes prudẽtiores judicare, õnes illos, qui in bene cõstitutis & bene Reformatis Ecclesijs (quales hæ nostræ erãt) contra ordiné Novitates in Doctrina aut Ordine conantur introducere,

Remonstrantes ipsi agnoverunt se novam doctrinam habere.

censeri debere pro ijs qui desciverint ab unitate Ecclesiarū Reformatarum,& qui autores ac causſæ sint omnium motuū & difficultatum,quę inde solēt oriri, quæq; in hisce Eccl. jam exortæ sunt. Ac propterea quia studēt culpā hujus mali,& calamitatis per ipsos excitatæ,à se in alios derivare,incipiunt nūc sermonē invertere,atq; aliā cantilenā canere;ac proinde eò audaciæ & impudētiæ processerunt,ut nunc audeāt libero ore inficias ire,quod toti mūdo notissimū est, quodq; ab ipsis antehac nō tantū cōfessum,sed & jactatum fuit: atq; insuper etiā(quod extremæ est impudētiæ) accusant Reformatos harum Ecclesiarum Ministros,qui perpetuò & cōstanter perstiterūt in recepta doctrina,sine ulla innovatione, ipsos esse qui Novitates in Ecclesias Reformatas introducāt,atq; eo ipso omnib. hisce difficultatib. & motib. in Ecclesijs causſam præbuerint: similes facti Imperatori isti,qui cum urbē Romam ipse incēdisset,sceleris hujus culpā impingebat Christianis,qui nō tātū insontes erant, sed etiā incēdiū ab ipso suscitatū unà cum alijs restingvebant. Artes quidē hæ sunt veteres, sed inhonestæ; & quæ minimè decēt viros probos,multò minus Christianos,ac nequiquam Doctores Christianæ Religionis, penes quos in omnibus verbis & factis veritas & sinceritas semper reperiri debent. Sed ad rem ipsam accedamus.

Remōstrantes producunt postea aliquot rationes atq; argumēta, quibus Doctrinā suam à Novitatibus tueri conantur. Summa omnium hac est,quia ipsorum doctrina,uti dicunt,congruit cum Antiquitate. I. Sacræ Scripturæ. II. Primitivæ Ecclesiæ Christianę post Apostolorum tēpora. III. Reformatarum Ecclesiarum,tam exterarum,quam harum regionum. Cōsideremus ac perpēdamus hasce rationes paulò penitius: deprehendemus omnes tam frivolas ac vanas esse, ut omnes, qui partium studio non ducuntur,sint admiraturi Remonstrantes ausos fuisse istas producere. Rationes quibus Remonstrātes doctrinam suam excusant á Novitate.

I. Cum Remonstrantes prætendunt *Doctrinam ipsorum congruere cum veritate S. Scripturæ*, ac proinde ejus respectu nō posse esse novam, facile id quidē dici potest, sed difficulter,immò minimè,probari. Agnoscimus doctrinam quæ cum S. Sriptura cōgruit antiquissimā esse: cæterùm an Remonstrantiū doctrina cum ea cōgruat,hoc ipsum est quod est in quçstione. Negativa in Collatione Hagiēsi alijsq; scriptis ex S Scriptura clarè & solidè adversus ipsos est demonstrata, atque uberius, si opus fuerit,confirmari poterit. Quā de re nos postulamus atque expectamus Iudicium Ecclesiarum Reformatarum fœderatæ Belgicæ, ubi illis fuerit permissum hanc causſam in legitima Synodo Nationali examinare: quam Doctrinam Remonstrantium non esse antiquā respectu S. Scripturæ.

ut obti-

ut obtineamus quam primum, si Remonstrantes nobiscum simul volent sincerè allaborare, ejusque judicio parati sunt se subjicere, quemadmodum nos profitemur nos paratos esse, omnesque doctores Reformati se subiicere tenentur; quæstio hæc ibidem ex verbo Dei commodè decidi poterit. Atque hæc est compendiosissima ac commodissima via tandem ex omnibus hisce disputationibus aliquando emergendi, si quidem finis earundem desideratur.

Neque respectu Ecclesiæ Primitivæ.

11. Cum addunt, *Doctrinam ipsorum consentire cum antiquitate primitivæ Ecclesiæ post tempora Apostolorum : seque paratos esse ut hæc controversia ex Patrum scriptis decidatur :* Notandũ est per Patres & Doctores primitivæ Ecclesiæ intelligi posse, aut eos qui scripserunt antequã disputationes de libero hominis arbitrio cõtra Dei gratiam in Ecclesijs Christianis excitatæ fuerũt, aut eos qui postea scripserunt. Quod attinet ad Patres, qui antea scripserunt, illi nunquam hasce controversias ex professo pertractarunt, ac proinde tam clarè non fuerunt locuti, ut ex ipsorum libris controversiæ decidi possint. Agnoscimus quidem nonnullos inter ipsos, qui aut Philosophi antea fuerãt, aut Philosophicis scriptis paulo addictiores Philosophicas illas de libero Arbitrio, & viribus humanis, opiniones ita penitus non potuerunt abjicere, quin de hac & simili materia aliquando ita fuerint locuti, ut etiam Pelagiani nonnullis ipsorum dictis adversus Orthodoxos usi fuerint. Constat etiam in scriptis primorum inter Christianos Scriptorum Ecclesiasticorum, quales fuerunt *Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Lactantius, Arnobius,* & similes, multa deprehendi dogmata, quæ nunquam ab Ecclesia Christiana pro Orthodoxis fuerunt agnita. Quin etiam in hac ipsa materia apud illos reperiuntur ejusmodi dicta, quæ ipsi Remonstrantes pro Orthodoxis & sententiæ suæ cõgruentibus non auderent agnoscere. Constat præterea Patres istos neque inter se, neque etiam secum sæpius consentire. Reliqui, nimirum Episcopi & Doctores, qui ante Augustini tempora scripserunt, quales fuerunt *Irenæus, Cyprianus, Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Ambrosius,* &c. occupati refutationibus aliarum hæresium, quibus eo tempore Christiana oppugnabatur Ecclesia, de hisce dogmatibus, de quibus inter nos & Remonstrantes controvertitur, neque ex professo, neque ita providè egerunt, uti posteriores : neque etiam omnes de iis eodem locuti sunt modo. Idem olim *Augustino* à Pelagianis objectum fuit, nimirum Patres qui ante ipsum vixerant ac scripserant, non cum ipso, sed potius cum Pelagianis sentire. Cui objectioni ita respondit :

Duplices Scriptores in primitiva Ecclesia.

Qui

Qui opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui prius quam hæresis illa oriretur, non habuerunt necessitatem in ista difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Vnde factum est ut de Gratia Dei quid sentirent breviter quibusdam suorum scriptorum locis & transeunter attingerent; immorarentur vero ijs quæ adversus alios veritatis hostes disputabant, &c. Idem Itaq; cum Remonstrantes nobis objiciant, & cum veteribus Pelagianis ad hæc scripta provocant, existimamus nos coram omnibus, qui partium studio non ducuntur, accurata hac insignis huius doctoris & Gratiæ divinæ propugnatoris responsione posse consistere. Quod verò attinet ad Patres, qui scripserunt postquam per *Pelagium, Cælestium, Iulianum*, eorumq; sectatores disputationes motæ sunt super articulis *de Prædestinatione, de Gratia Dei, de Libero hominis arbitrio, & de Perseverantia Sanctorum*, de quibus etiam inter nos & Remonstrantes lis est, ac quibus proinde data fuit occasio veritatem istorum articulorum ex verbo DEI penititius scrutandi atque examinandi, quique eam ob causam clarius, prolixius, & prudentius de hisce dogmatibus egerunt & scripserunt, quales innumeri fuerũt Orthodoxi patres, inter quos præcipui extiterunt *Augustinus, Prosper, & Fulgentius* (quos Ecclesia primitiva semper pro Orthodoxis scriptoribus agnovit) contenti sumus, libenterque admittimus (tametsi controversiæ Ecclesiasticæ de veritate alicuius dogmatis ex solo DEI verbo decidi debeant) ut hæc lis nostra de antiquitate hujus doctrinæ ex ipsorum scriptis dirimatur. Perspicuè enim probare possumus doctrinam illam, quam Remonstrantes de hisce articulis docent ab hisce Patribus non tantum non fuisse traditam, sed etiam disertè condemnari & refutari, ita etiam, ut Remonstrantes ne ullum quidem possint producere argumentum ad doctrinæ suæ confirmationem, quod non solidè in scriptis horum Patrum sit refutatum. Notum quoque omnibus est, qui in Historijs Ecclesiasticis sunt versati, doctrinam Remonstrantium, non tantum particularibus horum Patrum scriptis, sed etiam publicis Concilijs & Mandatis Imperatorijs, quasi ab universo Christiano orbe, in multis locis, & diversis temporibus, publicè & palam fuisse condemnatam ac rejectam. Mirandum ut sit magnoperè, Remonstrantes tam audacter provocare ad judicium Orthodoxorum primitivæ Ecclesiæ Patrum, à quibus doctrina ipsorum tam unanimiter & solemniter refutatur & condemnatur: uti nos parati sumus, cum opus fuerit, solidis atq; evidentibus argumentis abundè demonstrare.

Lib. de præd. Sanct. c. 14.

Remonstrantium doctrina antiqua est, quia cum antiquis Pelagianorũ & Semipelagianorum erroribus consentit.

Ex quibus apparet hæc Remonstrantium dogmata *Antiquitates* quidam dici posse eo nomine, quod consentiant cum antiquis Pelagianorum & Semi-Pelagianorum erroribus, quos illi nonihil interpolatos atq; exornatos iterũ revocant & producunt: sed revera & meritò *Novitates* appellari respectu Doctrinæ primitivæ Ecclesiæ quæ ab Orthodoxis Patribus, & in publicis concilijs traditur.

Remonstrantium doctrina nõ est antiqua respectu Ecclesiarũ Reformatarum.

III. Multo minus cum veritetate congruit, cum Remonstrantes gloriantur, *Doctrinam ipsorum non esse novam respectu doctrinæ Reformatarum Ecclesiarum tam exterarum, quam harũ Provinciarũ Belgicarum, sed cum sententia primorum Reformatorum consentire.*

Non respectu exterarum Ecclesiarum.

Extra hasce Provincias provocant ad Reformatas Ecclesias *Germaniæ, Helvetiæ, & Angliæ.* Reformatas *Galliæ* Ecclesias studio prætereunt, quia probe sciunt in illis Ecclesijs nullum unquam Reformatum doctorem toleratum fuisse, qui doctrinam Remonstrantium docuerit, aut palam ei addictus fuerit. Quantum ad nos attinet, parati sumus, si Remonstrantes idem etiam velint facere, totam controversiam nostram permittere judicio Ecclesiarum Reformatarum, quæ sunt in illis Regnis & Rebuspublicis. Quod si igitur Remonstrantes existiment doctrinam ipsorum cum istarum Ecclesiarũ doctrina consentire, cur renuunt causam suam istarum Ecclesiarum judicio subijcere? Hac enim tergiversatione reipsa ostendunt, hæc tantum eum in finem ab ipsis dici, ut coram simplicioribus causam suam aliquo modo excusent, non ignorantes interim doctrinam ipsorum ab omnibus illis Ecclesijs rejectam esse: quod ipsum etiam rotundè agnoscunt, quando seriò rogati, ut (quia se venditant pro Reformatis doctoribus) judicio Ecclesiarum Reformatarum se velint subjicere, respondere solent, nollo se hoc facere, quia sciunt se ab omnibus illis Ecclesijs esse condemnandos. Vnde apparet ipsos Doctrinam & factionem fovere adversus omnes Reformatas Ecclesias totius Christiani orbis. Audiantur super hæc re sententiæ Ecclesiarum Reformatarum: Hæc enim via est longè tutissima, ut veritatem hujus rei ex illis ipsis intelligamus, & ne quid ipsis impingatur, quod nollent agnoscere.

Quis hic sit status controversiæ.

Remonstrantes videntur non differi, doctrinam nostram in omnibus illis Reformatis Ecclesijs receptam esse, ac prævalere, (quod etiam ita se habet) sed hoc est quod tueri volunt, doctrinam illorum in initio Reformationis in illis Ecclesijs prius obtinuisse ac doctam fuisse: nostram vero doctrinam postmodum per *Calvinum, Bezam*, aliosque in Ecclesias Reformatas esse introductam: Atque huc videntur facere omnia argumenta, quæ producunt, ut secundum ijsdem probetur.

Respondemus, 1. Dato hoc, & non concesso, tamen caussam id Remonstrantium nullo modo juvare posset. Firmum enim nihilominus manet, quod nos dicimus, scilicet Remonstrantium doctrinam pugnare cum sententia omnium Reformatarum Ecclesiarum. Nec fuisset mirum, si in initio Reformationis inventi fuissent viri aliqui boni, qui ab ineunte ætate educati in Papatu, in quo Doctrina de Gratia Dei & Libero hominis arbitrio per doctores scholasticos fædè corrupta atq; obscurata fuit, recenter eundem relinquentes, reliquias adhuc aliquas fermenti illius retinuissent, quas postea luce Evangelij magis magisque perrumpente, ab alijs præclaris viris melius eruditi, paulatim cum cæteris Papatus erroribus reliquerint ac rejecerint. 2. Falsum tamen hoc esse, si intelligatur de præcipuis Reformationis instrumētis. Constat enim universo orbi Christiano, atque ita notum est, ut ipsa impudentia non ausit hoc negare, doctrinam nostram non primitus à *Calvino* & *Beza* in Ecclesijs Reformatis fuisse traditam, sed etiam *Lutherum* & *Zuinglium*, qui duo primi ac præcipui Reformatores fuerunt, hanc doctrinam nostram docuisse, & contra Pontificios eandem solidè admodum & luculenter propugnasse. Si postea nonnulli alicubi fuerunt reperti, qui in hisce dogmatibus iterū ad errores pontificios delapsi sint, illi hac in parte iterum desciverunt à doctrina primorum Reformatorum. Quales hodie illi sunt qui in articulis de Cœna & de Persona Christi adhuc errant, & vulgò *Lutherani* vocantur, qui plerique omnes in hisce controversis articulis nostris à sententia præceptoris sui *Lutheri* defecerunt, & cum Remonstrātibus sentiunt: tametsi multi inter illos, quales fuerunt *Vrbanus Regius*, *Iohannes Bugenhagius*, *Brentius*, *Spangenbergius*, *Sulcerus*, *Herbrandus*, *Heshusius*, alijque plures, in sententia Lutheri & primorum Reformatorum in hisce articulis perstiterint.

Primi Reformatores non fuerunt in sententia Remonstrantium.

Conantur tamen Remonstrantes hoc probare quibusdam *Confessionibus*, & aliquot *Exemplis* diversorum doctorum in illis Ecclesijs exteris, Ac principiò ut probent sententiam ipsorum ab initio Reformationis in Reformatis *Germaniæ* Ecclesijs fuisse doctam, producunt aliquas Confessiones, atque Exempla nonnulla Reformatarum Ecclesiarum Germanicarum, & doctorum earundem.

Neque Ecclesiæ Germanicæ.

Inter Confessiones primo loco producitur *Confessio Augustana*, quam hic statuunt ut generalem Confessionem omnium Ecclesiarum Reformatarum in Germania, *quoniam illæ nomine hujus Augustanæ Confessionis utuntur, ut secundum Imperij constitutio-*

Confessio Augustana non est generalis Confessio Reformatarum Ecclesiarum in Germania.

nes possint subsistere. Verum quidem est multas Ecclesias Reformatas in Germania nomine Confessionis Augustanæ ob istam caussam uti, sed hoc non ita simpliciter ab ijs fit, sed sub adjuncta idonea declaratione. Notum quoque est omnes illas Reformatas Ecclesias, præter Augustanam, suas quoque particulares adjunxisse Confessiones, ut sententiam & doctrinam suam in nonnullis articulis clarius ac plenius exprimerét, in quibus illæ etiam sententiam suam de hisce controversis articulis declararunt, planè cum nostra consentientem. uti inter eas præcipuæ fuerunt Ecclesiæ quatuor civitatum Imperialium Argentorati, Constantiæ, Memmingæ, & Lindaviæ, Regni Bohemiæ, Moraviæ, Marchiæ Badensis, Comitatus Emdani & Oost-Frisiæ. Quibus etiam adjunxerunt publicas suas de doctrina declarationes Ecclesiæ Principatus Bipontini, Lantgraviatus Hassiæ, aliorumque Comitatuum Germanicorum, Reipublicæ Bremensis, ac denique Electoratus Brandeburgici in Confessione nuper ab Electore edita. Ac præcipuè *Fredericus Pius* anno 1566. in comitijs Imperialibus Augustæ habitis declaravit, se quidem stare in Confessione Augustana, sed addidit etiam Catechesin Heydelbergensem, ut pressiorem ac pleniorem ejusdem declarationem. Aliæ etiam Reformatæ Ecclesiæ extra Germaniam noluerunt eam alia, quam quæ jam dicta est, sub conditione agnoscere. Cum enim Reformati in Gallia in colloquio Poissiaceno rogarentur, an vellent admittere Confessionem Augustanam, apertè responderunt, non posse se eam in quibusdam articulis recipere, nisi adjungeretur clara & perspicua declaratio. Nostræ etiam Belgicæ Ecclesiæ Reformatæ à Personis Illustribus, temporibus periculosissimis, propter considerationes Politicas rogatæ, ut Confessioni Augustanæ subscriberent, responderunt etiam, se sine læsione conscientiæ idipsum in nonnullis articulis facere non posse. Ipsa etiam Harmoniæ Confessionum non inserta est, nisi cum declaratione nonnullorum dictorum, quæ adversus sanam doctrinam de Prædestinatione quam nos confitemur, detorqueri possent. Itaque ex hisce alijsque rationibus patet Ecclesias Reformatas non fuisse contentas Confessione Augustana, & propterea illam non posse censeri pro Confessione generali omnium Reformatarum Ecclesiarum in Germania: ac proinde etiam non posset illa præjudicare illis Ecclesijs, quæ doctrinam suam particularibus Confessionibus plenius declararunt.

Illa Contra-Remonstrá- At verò an etiam in Confessione Augustana nostræ doctrinæ contra-

contradicitur & Remonstrantium confirmatur? Nullo modo. Neque id audent Remonstrantes asserere, quia nec possent probare. Tantum hoc dicunt: *eam in hac materia sententiam Contra-Remonstrantium non ponere.* Quod si res ita se haberet, qua in re hoc causam nostram gravare posset? Agnoscimus enim ipsi Confessionem hanc in diversis articulis laborare defectu, uti ea de re etiam conqueruntur Ecclesiæ Palatinæ in Admonitione Neustadiana, cum dicunt: *constare ex historia Confessionis Augustanæ & ex multis Lutheri & Melanchthonis epistolis, plures esse articulos, qui in Confessione exprimi deberent, sed omissos esse, quia essent odiosi, & toti Religionis negotio possent impedimentum objicere: inter quos tamen aliqui sint, de quibus certè necessaria est Ecclesiæ declaratio, ut de Providentia, de Libero arbitrio, de politica dominatione Episcoporum, de Electionis divinæ caussa in nobis, &c. Atque inde patere eam non esse perfectionem Confessionis Augustanæ, quam illi tribuunt Theologi, ac proinde in multis gravissimis quæstionibus malè prospectum fore Ecclesiæ si ex illa sola tanquam regula omnis doctrinæ Ecclesiasticæ pendendum sit.* Probari nihilominus potest sententiam nostram, licet illa propter adversariorum odium ibidem tam perspicuè & plenè non declaretur, quam in alijs Confessionibus Reformatis, in diversis tamen ejusdem Confessionis articulis breviter proponi ac doceri, & sententiæ Remonstrantium contradici.

tium sententiæ non adversatur, sed eam confirmat.

Pag. 185.

Huic adjungunt Confessionem Ecclesiarum *Principatus Anhaldini*, quam dicunt *planè cum ipsorum sententia consentire.* Respondemus hanc Confessionem admodum recentem esse ac novam, respectu primæ Reformationis, utpote quæ demum anno 1579. edita sit: ac proinde etsi illa cum Remonstrantium sententia hac in parte consentiret, non possent tamen ex ea probare Antiquitatem suæ doctrinæ respectu initij primæ generalis Reformationis, quæ cepit anno 1517. Quinetiam si hæc Confessio rectè perpendatur, non poterunt Remonstrantes clarè demonstrare hanc planè cum ipsis consentire. Ecclesiæ enim Anhaldinę in hisce nostris controversis articulis planè sequuntur declarationem Melanchthonis, qui, uti mox demonstrabimus, à Calvino non dissentit in sententia, sed tantum in modo hanc doctrinam tradendi, quia eam semper tradit *à posteriori*, à fructibus Electionis ascendens ad caussam. Veritas hujus rei cognosci potest ex diversis hujus Confessionis locis, uti quoque ex Colloquio, quod anno præcedente, antequam Confessio hæc ederetur, habitum fuit

Ex Confessione Ecclesiarum Anhaldinarum Antiquitas doctrinæ Remonstrantium probari non potest.

Hertzbergæ inter Theologos Anhaldinos & quosdam Lutheranos super recusatione subscriptionis Formulæ Concordię: in quo colloquio Theologi illi, qui postea istam ediderunt Confessionem, satis apertè declarant se in articulo de æterna Electione à nobis non dissentire.

Remonstrãti im doctrina in Palatinatu nõ fuit prius recepta quam nostra,

Dicunt etiam *in Ecclesijs Electoralis Palatinatus ipsorum doctrinam fuisse receptam, antequam nostra ibi radices egerit.* Sed ex nulla Confessione, aliove publico scripto id ab ijs probatur. Etiamsi ita se res haberet, non posset tamen inde probari doctrinam ipsorum esse receptam Reformatarum Palatinatus Ecclesiarum doctrinam. Nam hoc modo idem concludi posset de Lutherano *Consubstantiationis* errore, qui sub Lutheranismo ibidem quoque antea fuerat receptus. Nec tamen est credibile ipsorum doctrinam ibidem prius fuisse receptam, quam nostram. Cum enim Elector Palatinus Fredericus secundus Ecclesias Palatinas primùm reformare cepit, usus fuit opera *Pauli Fagij*, qui fuit addictus sententiæ nostræ. Postea sub Electore Othone primarius ibidem Professor & Doctor fuit *Tielmannus Hesshusius*, qui licet in articulo de Cæna cum Lutheranis sentiret, tamen patet ex ipsius scriptis, eum in articulis de Prædestinatione & de Libero arbitrio, adversus Remonstrantes sensisse & docuisse. Estque extra omnem dubitationis aleam positum ibidem postea, cum Elector Fredericus tertius Ecclesias suas perfectè reformaret, in eo utens opera *Dilleri, Klebitij, Boquini, Zanchij, Ursini* aliorumque doctorum virorum, doctrinam nostram in Ecclesijs Palatinis unanimiter receptam, & Remonstrantium doctrinæ semper ibidem fuisse contradictum.

Inter Reformatos Doctores Ecclesiarum Germanicarum nullos fuisse in sententia Remonstrantium.

Confessionibus Ecclesiarum Remonstrantes adjungunt etiam eximios aliquos *Doctores in Ecclesijs Germanicis*, quos libenter doctrinæ suæ sectatores facerent, ut inde nomen aliquod Antiquitatis illi conciliarent. Verùm etiamsi daremus, quod tamen non concedimus, omnes istos doctores fuisse ipsorum sententiæ addictos, quid inde aliud possent pro caussa sua concludere, quam quod pauci quidàm doctores alicubi aliquando fuerint inventi, inter innumeros alios nostræ sententiæ, qui Remonstrantium sententiæ fuerint addicti. Quid vero hoc ipsos juvaret? An ex eo concludi poterit, doctrinam ipsorum ab initio Reformationis in Reformatis Ecclesijs Germanicis fuisse receptam? Aut eam propterea antiquam esse doctrinam? Neutiquam id sequitur. Cæterùm hoc imprimis hic notandum est, quod Remonstrantes ex

omni-

omnibus illis doctissimis ac præstantissimis Doctoribus, qui ab initio Reformationis in Ecclesijs Germanicis tam multi, ac penè innumeri, extiterunt, tam exiguum doctorum numerum reperire potuerint, quos aliqua veri specie tanquam sententiæ ipsorum addictos producere potuerint. Nos verò clarè demonstrabimus nullum ex illis omnibus sententiæ Remonstrantium, uti eam nunc illi proponunt, fuisse addictum: ac proinde illos hisce exemplis frustra conari Antiquitatem doctrinæ suæ comprobare.

Non Philippum Melanchthonem.

Primus omnium, quem producunt est præstantissimus ille *Philippus Melanchthon*, præclarum Ecclesiarum Germanicarum lumen, cujus nomine mirandum in modum in omnibus scriptis se venditant, ut illius fama doctrinæ suæ aliquam concilient celebritatem. Miramur sanè haud parùm Remonstrantes transilire primos Reformationis antecessores *Lutherum* & *Zuinglium*, eorumque coadjutores *Ioannem Bugenhagium*, *Iustum Ionam*, *Oecolampadium*, *Bucerum*, *Capitonem*, aliosque plures, & solum Melanchthonem producere, quasi ille præcipuus, immò solus fuisset Reformationis author, & solus præstantibus illis doctoribus opponi posset. Verùm quod ad ipsum Melanchthonem attinet, notissimum est illum prius sententiæ Lutheri in hisce articulis fuisse addictum non tantum quod ad sententiam & doctrinam ipsam attinet, sed etiam quod attinet ad modum eandem tradendi: uti abundè ex diversis ipsius scriptis atque epistolis demonstrari potest, imprimis ex priori editione commentariorum in Mattheum, & in Epistolam ad Romanos; ex Locis itidem ejus Communibus. uti quoque ipse in Epistola quadam ad Erasmum declarat se doctrinam *Lutheri* de libero arbitrio, quam *Lutherus* congruenter sententiæ nostræ contra *Erasmum* sententiam Remonstrantium propugnantem, defendebat, bona conscientia non posse improbare. Hoc ita notum est ut nuper etiam ipse Remonstrantiũ coryphæus agnoverit priores Melanchthonis considerationes cum sententia nostra consentire. Si postea sententiam mutaverit, non permansisset in antiquiori sententia, sed novam amplexus fuisset: quod sanè ei non posset honori verti, si dicatur eum defecisse à doctrina Reformata, quæ à primis Reformatibus contra Pontificios propugnata fuit. Hoc vero causæ Remonstrantium quid prodesset? Infirmũ certè argumentũ est, cum quis antiquitate doctrinæ suæ conatur probare exẽplo alicujus, qui ab antiqua Reformata Doctrina defecerit ad novam.

Sed

Sed neque credibile est eum postea multum in sententia mutatum fuisse. *Melanchthon* pro singulari prudētia ac pietate sua, in id operam semper dedit, ut doctrina Christiana ad usum suum, nimirum ad consolationem piorum, & promotionem pietatis, applicari posset: ac proinde animadvertēs doctrinam de Prædestinatione, quando non satis prudenter proponitur, facile infirmis offensionem, & hostibus calumniandi occasionem præbere, dedit operam ut eadem quam prudentissimè & mollissimè proponeretur, uti eo melius ædificationi & consolationi servire queat. Quare ita eam tractavit ut non à *priori* processerit ad posterius, à primis & summis caussis descendendo ad inferiores, atque ad effecta, (uti doctrina hæc vulgo in scholis tradi solet) sed *á posteriori* procedit ad prius, ab effectis Prædestinationis ascendendo ad causas ejusdem. Docuitque quomodo homines doctrina hac sine offensione ad ædificationem uti debeant, sc. nō debere eos statim ascendere ad primam caussam quæ est æternum DEI consilium, sed à posteriori debere incipere, ac proinde prius considerare effecta & fructus Electionis suæ, quæ sunt Fides & Pœnitentia, atq; ex ijs judicare & statuere de sua Electione, quæ Fidei & pœnitentiæ causa est; quemadmodum ex fructibus arboris de ejus bonitate judicatur. Apparet hoc etiam ex ipsis *Locis Cōmunibus* quos postremùm edidit, & quos Remōstrantes præcipue spectare videntur. Hic modus doctrinam de Prædestinatione tradendi non pugnat neque cum sententia nostra, neque etiam cum modo docendi, quem servamus quando eam in Ecclesijs coram populo ad ædificationem proponimus, sed planè sententiam nostram confirmat. Nam quando ita docetur, tum præsupponitur atque agnoscitur Fidem esse effectum & fructum Electionis æternæ, quod Remonstrantes negant, & nos cum Philippo agnoscimus.

Illud quidem verum est Philippum sæpiùs istos reprehendere, qui *Fatum Stoicum*, & *Manichæam quandam necessitatem* videbantur in Ecclesiam introducere, sed constat illum non designasse *Lutherum* aut *Calvinum*, aut eos qui ipsorum sententiæ essent addicti, sed *Flacianos*, *Enthusiastas*, aliosque ejusdem farinæ homines. Quod autem Melanchthon doctrinam hanc ita proponens in sententia seu doctrina ipsa non sit mutatus, diversis ostendi potest documentis. *Calvinus* librum suum adversus *Pighium*, in quo doctrina atque etiam argumenta Remonstrantium solidè refutantur, *Melanchthoni* dedicavit, ut consensum suum in hac doctrina testaretur. Declarat etiam in Epistola dedicatoria propterea

Melanchthonem non mutasse sententiā probatur.

rex librum hunc ei dedicasse, quia præcipuus esset vindex ejus doctrinæ, quam in illo libro tractat. In ipso libro dicit etiam Melanchthonem nonnulla, quæ Lutherus scholastico scribendi modo, ac minus plebi idoneo, scripsisset, prudenter & singulari dexteritate in molliorem flectentem modum, captui populi & communi usui vitæ accommodasse. Inter ipsum & Melanchthonem nullam aliam esse dissensionem quam in modo loquendi & docendi, qui à Melanchthone emollitus fuit, ne daret ullam offensionem. Hunc Calvini librum Melanchthon gratissimè acceptavit, plenissimè laudavit, utpote in quo doctrina hæc admodum piè & doctè pertractetur, atque ita quasi eidem subscripsit. Expressè etiam Calvino scripsit, doctrinam seu sententiam suam cum Calvini consentire, sed ipsius esse simpliciora & παχύτερα, atq; usui accommodata. Factum hoc anno 1545.

Cum *Bolsecus* quidam Genevæ turbas excitaret propter doctrinam de Prædestinatione & Libero arbitrio, & ad Melanchthonis sententiam provocaret, Ministri Ecclesiæ Genevensis palam testati sunt, Calvinum atque ipsos cum Melanchthone in hac doctrina eundem habere scopum. Cæterùm cum diversa isthæc doctrinam hanc tradendi ratio a nonnullis aut indoctoribus, aut malevolis accipiretur, ac si *Calvinus* & *Melanchthon* in ipsa doctrinæ substantia discreparent, Calvinus aliquoties apud Melanchthonem conquestus est, hanc diversitatem, quam Melanchthon sequebatur in modo tradendi hanc doctrinam, sæpe ipsi objici, nec parùm premere: monuitq; eum sæpiusculè, ut sententiam suã paulo rotundius explicaret, veritatem propter nonnullorum odia aut aversum favorẽ non occultaret, atq; imprimis ut operam dare vellet, ut de gratuita piorum Electione paulo sincerioré cum ipso docendi modum servaret, quã antehac fecisset. Quam Calvini admoninitionẽ Melanchthon etiam postea secutus fuit, sententiam suã de isto articulo rotundius declarans, ut in ipsius commentario in 9. Cap. Epist. ad Romanos edito anno 1556. apparet: ubi videre est eum in Doctrinâ ipsâ a Calvino aliisque orthodoxis doctoribus Ecclesiarum Reformatarum non dissentire. Ex quibus dilucidè apparet, Melanchthonem non fuisse mutatum, quod attinet ad doctrinæ substantiam, sed tantum quod attinet ad modum hanc doctrinam cum ædificatione tradendi: ac propterea Melanchthonem non fuisse Remonstrantium sententiæ, sed nostræ addictum. Quod ipsum etiam de ipso clarè testantur & demonstrant *Zanchius* in Epistola ad Pezelium, *Beza* contra Castalionem & Balduinum, *Pezelius* in Loco de Prædest. parte Philipp. Argum. ultima, *Vrsinus*, &

plures alij docti viri, quibus sententia & scripta Melanchthonis melius fuerunt cognita, quam Remonstrantibus.

Melanchthoni adjungunt alios quosdam viros doctos, quorum nonnulli docuerunt in *Germania*, alij in *Helvetia*, dicuntque ex ipsorum scriptis constare, *ipsos in fundamẽto ferè cum Remonstrãtibus in hisce articulis consentire*. Ex *Germania* producunt tres *Casparos*, scilicet *Crucigerum*, *Hedionem*, & *Peucerum*, ac postea etiam quendam *Erasmum Sarcerium*.

Neque Casparum Crucigerũ.

Quod attinet ad *Casparum Crucigerum*, qui VVitebergæ Melanchthonis in Professione Collega fuit, ille omninò secutus fuit sententiam Melanchthonis, quem cum jam demonstraverimus Remonstrantium sententiæ non fuisse addictum, neque Cruciger ejus sententiam sequens dici potest ei addictus fuisse. Idem manifestius adhuc liquere potest ex ipsius scriptis, præsertim ex cõmentario ejus in priorem Epistolam ad Timotheum, ubi rotunde declarat, illa quæ de Prædestinatione docentur convenienter sententiæ nostræ, non pugnare cum ipsius explicatione, quam ponit à posteriori, more Melanchthonis, ab effectis electionis ascendendo ad caussam eorundem. Adeò ut huic quoque viro magna fiat injuria, cum ipsum contra sententiam suam Remonstrantem facere conantur.

Nec Casparum Hedionem

Eodem etiam modo se res habet cum *Caspare Hedione*, qui una cum *Capitone* & *Bucero*, quorum uterq; sententiæ nostræ fuit addictissimus, Ministerio verbi laudabiliter functus fuit *Argentinæ*. Nam cum notissimum sit illum una cum aliis Articulos Marpurgensis consensus concepisse, iisque subscripsisse: illum etiam una cum aliis Confessionem quatuor Civitatum in Comitiis Imperialibus obtulisse, ac postea typis mandasse, cum adjuncta Apologia, in quâ doctrina de Prædestinatione secundum nostram sententiam docetur & defenditur: illum etiam Confessioni Basilecnsi, & Summæ doctrinæ Ministrorum Argentinensium subscripsisse: illum Argentorati docuisse illam doctrinam quæ ibidem per viginti octos annos docta fuit, atque in epitome à Bucero explicata atque edita fuit: Illum denique articulos contra Hofmannum Anabaptistam proposuisse ac defendisse: in quibus omnibus scriptis sententia nostra clarè exprimitur atque docetur, haud levis impudentiæ est hunc virum qui tam manifestè sententiam nostram secutus fuit, in partes Remonstrantium velle pertrahere.

Neque Casparum Peucerum,

Casparus Peucerus gener *Philippi Melanchthonis*, vir præstan-

stantissimus, qui multa indigna à Lutheranis, quorum plerique sententiam Remonstrantium sequuntur, propter veritatis confessionem perpessus est, nequaquam sententiæ Remonstrantium addictus fuit. Contrarium enim ex scriptis ipsius luce meridiana clarius patet, scilicet illum in doctrina de Prædestinatione & annexis ei capitibus omninò nobiscum sensisse. Vti inter cætera videre licet in Confessione eius, quæ in carcere conscripta & Tiguri edita fuit, in qua diserte fatetur, *Electionem non fieri ex aliquibus præviſis aut præcedentibus cauſſis, ſed ſecundum Liberrimam Dei voluntatem ſine aliqua conditione præviſæ fidei, operum, aut meritorum. Electionem eſſe primam cauſſam omnium benedictionum ſubſequentium. Cauſſam diſcretionis, hoc eſt, Electionis & Reprobationis in Deo eſſe liberrrimam ipſius voluntatem.* In qua porrò tam perspicuè nostram doctrinam profitetur, & Remonstrantium doctrinæ contradicit, mirandum ut sit magnopere, illos fuisse ausos hunc virum producere.

Quod *Erasmum Sarcerium* hic etiam proferunt, mirari quoque convenit, cum iste nunquam pro Reformato nostrarum Ecclesiarum doctore fuerit habitus, sed inter Lutheranos censeatur, ac propterea nobis haud magis præjudicare potest quam reliqui Lutherani. Si quis huius Sarcerij scripta diligenter inspiciat, deprehendet eum de prædestinatione dubitanter nec uno semper modo loqui, ac nonnunquam ita, ut Remonstrantium sententiæ planè contradicat. Inter alia enim dicit: *Impiam esse Pontificiorum opinionem dicere aliquam Prædestinationis cauſſam in nobis esse: dicere, ſi non es prædeſtinatus, da operam ut prædeſtineris: dicere, Prædeſtinationem incertam eſſe: dicere, eos qui ad vitam prædeſtinati ſunt, poſſe perire, &c.* Sed cur hunc potius Lutheranum Remonstrantes ex alijs omnibus elegerint, quem nobis opponant? Haud obscurè ipsi hoc indicant, scilicet ut Comitatui Nassovienſi hanc labem affricent, quasi defecerit ab orthodoxa hujus Sarcerij doctrina, qui olim Pastor fuit Dillenburgensis, atque amplexus fuerit heterodoxam *Piscatoris* doctrinam, cui *Petrus Molinæus* Minister Ecclesiæ Parisiensis, uti dicunt, contradixerit. At sciendum est, nondum ab ipsis probatum esse hunc Sarcerium primum fuisse Nassovicarum Ecclesiarum Reformatorem, atque in eisdem sententiam ipsius (etiam si eadem fuisset cum sententia Remonstrantium) prius obtinuisse. Probabilius est, quandoquidem in vicina Academia

Erasmus Sarcerius fuit Lutheranus.

Quare Remonstrantes eum producant.

Marpurgensi nostra doctrina à *Lamberto Avenionensi*, *Gerardo Noviomago*, *Andrea Hyperio*, aliisque publicè in initio Reformationis tradita fuit, eandem quoque in Comitatu Nassovienſi locum habuisse, ac proinde *Piscatorem* ibidem non introduxisse doctrinam novam, sed antiquam, quæ ibidem collapsa fuerat, restaurasse. Hanc Piscatoris doctrinam *Molinæus* non damnat, sed publicè approbat, reprehendens tantum duriores quasdam phrases, quæ offensionem præbere possent, quibus Piscator utitur, cum doctrinam hanc proponit: quæ censura *in editione literarum Molinæi* non *perfidè*, sed prudenter omissa est, quoniam Ecclesiæ nostræ istis phrasibus non utuntur: etiamsi nos mallemus fuisse additam, ut Remonstrantium calumnijs occurreretur.

In Reformatis Ecclesijs Helvetiæ Remonstrantium doctrina nunquam tradita fuit.

Ex Germania abeunt in *Helvetiam*, ut videant an illic quoque Remonstrantem aliquem invenire queant. Inter tot tamque præclaros Reformatarum Helveticarum Ecclesiarum doctores, tantum duos invenire possunt, quos audent producere. Vnus est *Ioachimus Vadianus* urbis Sangallensis Consul, alter est *Henricus Bullingerus* Ecclesiæ Tigurinæ Minister. Vtrique magna fit injuria, quando illos Remonstrantium doctrinæ sectatores facere conantur.

Non à Ioachimo Vadiano.

Ioachimum Vadianum non fuisse in sententia Remonstrantium, tam manifestè ex ipsius scriptis probari potest, ut suspicari nequeamus, quid ex ijs pro se producere possint. Vel illud solum, quod Libro de Primitivæ Ecclesiæ statu, seu Christianissimi ætatibus, de Pelagij erroribus scribit, abundè testatur eum nostram fuisse amplexum sententiam.

Neque ab Henrico Bullingero.

Henricum Bullingerum Remonstrantes etiam libenter in partes suas pertraherent, quem in fine ante aliquot annos integrum conscripserunt librum, quem quibusdam aut malè allegatis, aut malè intellectis, aut malè applicatis locis, ex ipsius scriptis excerptis compleverunt, ut populo persuaderent Bullingerum fuisse Remonstrantium sententiæ addictum. Nunc verò Remonstrantes eo usque impudentiæ non audent procedere, ut dicant eum planè Remonstrantibus fuisse addictum, sed dicunt *eum magis accedere ad sententiam Remonstrantium, quam Contra-Remonstrantium*: quasi utramque amplecteretur sententiam, sed ad unam magis quam ad alteram inclinaret, quod in negotio veritatis, quæ unica & simplex est, fieri non potest, in una eademque causa. Nam ibi alteram contradictionis partem necesse est ut veram agnoscamus. Nisi forte Remonstrantes dicere velint eum in doctrina fuisse va-

rium

rium atque inconstantem. At verò nomine atque autoritate præclari hujus doctoris turpiter abutuntur. Possumus enim nos evidenter demonstrare illum non tantum ad nostram magis quam ad illorum sententiam accessisse, sed etiam nostræ sententiæ plane addictum, atque Remonstrantium adversarium fuisse. Quod ut manifeste constet audiamus hujus rei clarum & sincerum generi ipsius D. *Iosiæ Simleri* testimonium, qui in vita Bullingeri ita scribit. *In Ecclesia Genevensi exorta est controversia de Prædestinatione divina. Nam Hieronymus Bolsecus Medicus doctrinam Calvini publicè cepit oppugnare, populumque admonere, ne à Calvino pateretur se seduci. Calvinus ei respondit, atque errores ejus multis Scripturæ & Augustini testimonijs refutavit. Sed quia in erroribus suis pertinaciter perseverabat, & gloriabatur in alijs Ecclesijs multos se habere Ministros sententiæ suæ fautores, Senatui & fratribus Genevensibus visum fuit de sententia Ecclesiarum Helveticarum inquirere, atque imprimis Tigurinorum, quia mentiebatur Bullingerum cum ipso consentire. Bullingerus tum temporis cum reliquis fratribus respondit, omnibus & singulis liquere, eum qui doceret Electionem à fide pendere, & fidem non minus ex proprio motu quam ex divina inspiratione existere, dedita opera nomine nostro abuti. Scio Bullingerum multis fuisse suspectum, quasi quod Zuinglius præ memoriæ docet de æterna Dei Providentia atque Electione, uti quoque de libero arbitrio, idem non sentiret: sed qui ita crediderunt illi magnam ipsi injuriam fecerunt.* Idem testatur Ecclesia Genevensis, hanc rem ita gestam esse. Quid clarius dici potest? Remonstrantes exemplum & sententiam improbi hujus Apostatæ Bolseci sequentes, ad Bullingerum provocant, & dicunt illum idem cum ipsis sentire: Bullingerus ipse, Simlerus, & Ecclesia Genevensis contra testantur eos mentiri, magnam ipsi injuriam facere, & dedita opera nomine ejus abuti. Atque etiam ita se res revera habet, uti ex diversis ejus scriptis & subscriptionibus demonstrari potest. Imprimis autem hoc videre possumus ex judicio Academiæ & Ecclesiæ Tigurinæ de *Thesibus Zanchij*, quod Bullingerus primus manu sua subsignavit, in quo sententia nostra ab ipso, ejusque Collegis, tam perspicuè ut orthodoxa approbatur, & Remonstrantium condemnatur, ut in hac materia nihil clarius dici possit. Illud quidem verum est eum, cum loquitur de hisce articulis, more Melanchthonis aliorumque, magna cum prudentia & lenitate eos pertractare, à fide & conversione, ut à fructibus & effectis, ut plurimùm ascendendo ad ipsam Electionem,

quæ eatundem est causſa, ut hac ratione offensionem vitaret, atque hanc doctrinam ad usum tanto melius applicaret, ut nimirum unusquisque, ad sui consolationem, ex hisce effectis tanquam ex certis signis de Electione sua certior reddatur, ac tanto majori diligentia utatur medijs à Deo ordinatis, ut ijs ad salutem perducatur, ad quam electus est. Propter hanc docendi rationem nonnullis quidem suspectus fuit, quasi cum Remonstrantibus Electionē suspenderet à fide prævisa, sed magna ipsi hac in re facta est injuria, quoniam sententiam suam hac in parte secundū doctrinam nostram sæpius apertè & publicè declaravit. De Decadibus ejus postea agemus, ostendemusque ex illis nequaquam probari posse Bullingerum fuisse in sententia Remonstrantium. Adeò ut Remonstrantes in Helvetia neminem inveniant, qui eorum sententiæ fuerit addictus.

In Reformatis Angliæ Ecclesijs Remonstrātium doctrina nunquā publicè sine contradictione docta fuit.

Ex Helvetia proficiscuntur & transfretant in *Angliam*, sperantes ibi quoque se inventuros nonnullos Remonstrantium doctrinæ fautores. Sed quam pancos ibi invenerint, apparet ex infirmis probationibus, quas producunt. Ajunt, *si diversos haberent libros Anglicanos, alia quam Anglicana lingua scriptos, se ex ijs probare posse Contra Remonstrantium Prædestinationem in prima Reformatione Anglicana non fuisse doctam.* Sed quid hæc sibi dicta volunt? Si libros non habent, & linguam non intelligunt, quomodo scire poterunt, quid illis libris doceatur? An in re tanti momenti ita procedere decet ex meris suspicionibus? Quisnam ipsis indicavit & ostendit tales extare libros, ex quibus hoc probari posset? Extant satis multi libri Latinè isto tempore scripti, cur ex ijs probationes suas non producunt? Contrarium, hoc est, Doctrinam de Prædestinatione in primis Reformatis Anglicanis Ecclesiis doctam fuisse secundum sententiam nostram, & nunquam secundum sententiam Remonstrantium, probare possumus non tantum ex particularibus libris tam Anglicana, quam Latina lingua conscriptis, sed etiam ex ipsis Confessionibus, Catechismis, aliisque publicis Reformatarum Anglicarum Ecclesiarum scriptis, tempore primæ Reformationis sub Eduardo VI. ibidem editis, & autoritate Regis atque universi Parlamenti tam Ecclesiastici quam Politici confirmatis. Ac verò cui incognitum est præstantissimos illos doctores, & Reformationis Anglicanæ autores, *Bucerum*, *Fagium*, *& Martyrem* ab initio Reformationis ibidem, in Academijs Anglicanis Catabrigiensi & Oxoniensi nostram doctrinam de Prædestinatione, cum refutatione sententiæ

tiæ Remonstrantium, publicè docuisse? Inter omnes *illos* doctissimos viros, qui tempore Reformationis in Anglia tam præstantes & tanto in numero extiterunt, non possunt Remonstrantes plures invenire quam duos, quos dicunt in sententia ipsorum fuisse.

Prior est *Hugo Latimerus*, Episcopus & Martyr insigniter pius & doctus. Nos pernegamus eum fuisse in sententia Remonstrantium, possumusque perspicue probare, eum non tantum nostræ sententiæ fuisse addictum, sed etiam Remonstrantium sententiæ adversatum. Probationem quam Remonstrantes proferunt, desumpserunt ex libello cujusdã *Tomsoni*, quem conscripsit adversus Perseverantiam Sanctorum, & quem non ausi fuerunt in Anglia typis divulgare, sed nuper Leydæ ediderunt, in quo Latimerus adducitur, quasi Perseverantiam Sanctorum negasset, quoniam septimo Sermone habito coram Rege Eduardo VI. conqueritur *novos quosdam Spiritus exortos esse, qui dicunt postquam Spiritum Sanctum acceperimus, non posse nos peccare: Sed Apostolus Paulus Galatis scribit: Currebatis benè, & Spiritum accepistis: sed postea: quis vos fascinavit? Quod si verum est, possumus Spiritum Sanctum quem semel accepimus & possedimus, iterum amittere.* Sed quinam fuerunt isti novi Spiritus? An fuerunt aliqui, qui doctrinam de Perseverantia Sanctorum secundum nostram sententiam docebant? Nequaquam. Remonstrantes etiam non audent id planè asserere, sed tantùm dicunt doctrinam nostram ibi *ex parte* denotari. Quod ipsum etiam haud est verum. Nam ubi nos unquam docuimus eos, qui Spiritum acceperunt, non posse amplius peccare? Vbinam negamus eos, qui Spiritus Sancti participes sunt, eundem nullo modo posse amittere? Nos contrà agnoscimus & docemus regenitos sæpiùs, atque etiam aliquando graviter peccare, & Spiritum S. etiam aliquo modo amittere, etsi eum non totaliter neque finaliter amittant. Liquet etiam ex articulis nonnullis Confessionis editæ tempore Eduardi VI. (in qua de Perseverantia Sanctorũ alioquin insignis extat exomologesis) per hosce *novos spiritus* fuisse intellectos quosdam Anabaptistas, de quibus etiam Bullingerus agit cap. XI. adversus Anabaptistas, qui docebant hominem regenitum, postquam Spiritum Sanctum accepit, non amplius posse peccare: adversus quos Articulo XV. docetur, *postquam Spiritum Sanctum accepimus, possumus à gratia recedere* (non *excidere*, uti hunc locum nonnulli Remonstrantes olim mala

Non à Latimero.

fide

fide citarunt) *& peccare.* Vbi clarè licet videre, quod *Spiritum amittere, & à gratia recedere,* per *peccare* explicetur. In Confessione Augustana idem error expressè Anabaptistis asscribitur, atque etiam eodem modo explicatur *Spiritum S. posse amittere,* per *posse peccare:* qui error sanè nullam planè habet affinitatem cum nostra doctrina de Perseverantia Sanctorum, uti in Observationibus ad Harmoniam Confessionum, & à Zanchio in Miscellaneis solidè demonstratur. Latimerum autem in nostra fuisse sententia, liquere potest, quia Confessionem & Catechismum temporibus Eduardi VI. editum, in quibus Doctrina de Prædestinatione & Perseverantia secundum sententiam nostram perspicuè declaratur, atque agnoscitur, ipse approbavit, ac fortè etiam cum alijs simul conscripsit. Quod etiam Remonstrantium sententiæ se opposuerit, abundè colligi potest ex martyrologio Latino *Foxi*, & ex epistolis Martyrum seorsim editis. Cum enim quidam *Henricus Hartus* cum sectatoribus suis hosce ipsos articulos, quos nunc Remonstrantes propugnant, spargeret, atque illis fidelium conscientias, tam qui in carceribus, quam qui extra carceres erant, temporibus *Mariæ*; vehementer turbaret, *Bradfordus*, insignis Ecclesiæ doctor, adversus hosce errores tractatus aliquos conscripsit, qui ad *Crammerum, Ridleum, & Latimerum,* tunc simul Oxoniæ in Carcere detentos, missi fuerunt, ut ab ipsis approbarentur. Hi scripta ista non tantum approbarūt, sed etiam ut hujus doctrinæ veritas apud posteros (uti ipsi testantur) conservari queat, ipsi etiam scriptum aliquod conceperunt, de hac eadem materia, quod etiam erant publicaturi, si fieri tunc potuisset. Ex quibus omnibus patet hunc fortem Martyrem injustè à Remonstrantibus pertrahi in partes ipsorum, cum ipsorum sententiæ non addictus, sed adversarius fuerit.

Act. 16. xi.

Remonstrantium doctrinam nunquam in Anglia in Præsuris & Professionibus fuisse protectam.

Hisce Remonstrantes satis audacter porrò adjiciunt: *etiam si doctrina Contra-Remonstrantium progressu temporis multos sectatores in Anglia nacta fuerit, non potuisse tamen aliam antiquam & primam doctrinam* (ita suam injustè vocant) *ita penitus opprimere, quin eadem semper ibidem manserit, & in Prælaturis & Professionibus publicè protecta fuerit.* Doctrinam nostram ab initio Reformationis in Anglia semper obtinuisse atque etiam nunc obtinere; eamque approbasse semper atque etiam nunc approbare (Deo sit laus) omnes Reformatas Ecclesias, earumque doctores, in universa magna Britannia verissimum est, atque id ipsum Remonstrantibus satis dolet. Quod autem ipsorum doctrinam nomina

mine *antiquæ & primæ doctrinæ* venditant, ridiculum est, & à vero alienum, nisi fortè antiquitatem suam ducere velint à *Thoma Eboracensi, Ioanne Roffensi*, & *Tonstallo Londinensi*, Pontificijs Episcopis, qui *Erasmum* sententiæ Remonstrantium addictum excitarunt, ut contra *Lutherum*, qui nostram sententiam secutus fuit, scriberet de Libero arbitrio. Doctrinam etiam ipsorum in Anglia publicè in Prælaturis & Professionibus protectam fuisse, itidem à vero est alienum. *Prælatos* tacitè prætereunt, quia ne unum quidem producere possent, qui ipsorum sententiam docuerit, & publicè protectus fuerit. Inter *Professores* unicum tantum inveniunt *Baronem*, hominem natione Gallum, qui extraordinaria *Margaretæ* Professione functus fuit in Academia Cantabrigiensi. Hunc fatemur in quibusdam Articulis stetisse in sententia Remonstrantium. Atque hic unicus est, quem ex omnibus exteris Reformatis Ecclesijs Remonstrantes producere potuerunt sententiæ suæ addictum. Nec tamen verum est eum, cum hanc sententiam suam doceret, fuisse in ea publicè protectum. Cum enim sententiam suam inceperet docere ac disseminare, multi viri docti tam in Academia, quam extra illam, sese illi opposuerunt, quales fuerunt *Withakerus, Tindallus, Somus, Asteius, Perkinsus, Chaderthonus, Willerus*, alijque. Doctrina ipsius etiam judicio Ecclesiastico Archiepiscoporum *Witgifti* Cantuariensis, & *Matthæi* Eboracensis, atque aliquot aliorum Episcoporum *Lambethæ* publicè fuit condemnata. Quidam etiam *Baretius*, qui sententiam ejus amplexus fuerat, publico Academiæ judicio ad errorum istorum palinodiam fuit redactus. *Baro* ipse hanc oppositionem animadvertens, tacitè cessit professione, & Cantabrigia discessit. Hoc sanè longe aliud est quam in tali doctrina publicè protegi.

Solum Petrum Baronem inter Professores Anglicanos fuisse in sententia Remonstrantium, sed fuisse condemnatum.

Remonstrantes tam paucos sententiæ suæ fautores invenientes in Ecclesijs exteris, reverturtur ad Belgicas, de quibus, atque inter quas præcipua existit controversia. Nam quando Remonstrantes accusantur, ipsos Novitates docere in hisce Ecclesijs, atque inde omnes hosce exortos esse motus, eo nihil aliud designatur, quam quod dogmata quædam doceant, quæ nunquam ab hisce Belgicis Ecclesijs recepta, sed semper rejecta & condemnata fuerunt. Si Remonstrantes hoc negant, contrarium illis incumbit probandum. Ac proinde non fuisset opus, ut Remonstrantes extra hasce regiones abijsét, ut Remonstrantem aliquem in alijs Ecclesijs Reformatis investigarent. Hoc enim propriè non tangit

In Reformatis Ecclesijs Belgicis doctrinam Remonstrantium nunquam fuisse recepta.

noſtras Eccleſias, etiamſi fortè alibi quiſquam hanc doctrinam tradidiſſet. Manet nihilo minus verum hæc Remonſtrantium dogmata nunquam ab Eccleſiis Reformatis harum regionum recepta fuiſſe, ac propterea eſſe Novitates in eadem. Remonſtrantes contrariũ conantur probare duplici ratione. 1. *Exemplis.* 2. *Formulis conſenſus* harum Eccleſiarum, ſcilicet *Confeſſione & Catecheſi.*

Neque publicè doctã, niſi a paucis, qui propterea cenſura publica notati fuerunt.

Ad *Exempla* quod attinet, producuntur quidem nonnulla doctorum harum Eccleſiarũ, qui antehac in ſententia Remonſtrãtium fuerunt (quod nos non diffitemur) ſed probandum ipſis foret, illos hæc dogmata publicè docuiſſe; Et cum hoc fecerunt, eos à Reformatis Eccleſiis harum Regionum non fuiſſe reprehenſos, aut cenſura notatos. Contrarium manifeſtè patet, & clarè demonſtrari poteſt, hoſce ſc. omnes qui hic producuntur, aut hanc doctrinã publicè non propoſuiſſe, aut quando id fecerunt, Reformatas harum regionum Eccleſias publicè ſe illis oppoſuiſſe, & cenſura Eccleſiaſtica eos notaſſe. Adeò ut vel ex his ipſis exemplis, quæ hic à Remonſtrantibus producuntur, manifeſtum eſſe poſſit, quod nos probandum ſuſcepimus, doctrinam ſcilicet hanc nunquam ab Eccleſiis hiſce Reformatis receptam fuiſſe, ſed ſemper fuiſſe rejectam ac condemnatam: ac proinde *Novam* eſſe doctrinam in eiſdem Eccleſiis. Præterea notandum hic diligenter eſt, Remonſtrantes ne unum quidem exemplum poſſe producere, quo probari poſſit, in hiſce, aut in aliis Reformatis Eccleſijs, unquam factum aut toleratum fuiſſe inter Reformatos Doctores, doctrinam noſtram tam calumnioſis conſequentiis, tamque acerbis & virulentis invectivis, tam horrendum & deteſtandum in modum, coram populo publicè fuiſſe proſciſſam ab ullo Reformato doctore, quemadmodum Remonſtrantes quotidie faciunt. Quocirca omnia hæc exempla, quæ Remonſtrantes ex Eccleſiis Reformatis producunt, aut producere poſſent, malam ipſorum cauſſam juvare neutiquam poſſunt, ſed potius eidem obſunt. Quod ut melius pateat, hæc exempla paulo diligentius ſingulatim inſpiciamus.

Non in Reformatis Eccleſiis Belgicis extra Belgium. Non à Ioane à Laſco.

Primò producunt exemplum ex Reformatis Belgicis Eccleſiis *extra Belgium* exulantibus in Angliâ, ſcilicet *Ioannis à Laſco*, de quo duo dicunt. 1. *Eum deſcribentem ſtatum primarum Eccleſiarum Belgicarum in Anglia, anno 1550. tempore Eduardi, de Contra-Remonſtrantium Prædeſtinatione haud multam facere mentionem.* Sed hoc mirum non foret, cum in iſto

isto libro propriè non agat de Doctrina, sed tantùm de Forma externi Ministerij, & Regiminis Ecclesiastici. Quid, quæso, inde concludi posset ? Quia Ioannes à Lasco ibi nihil agit de nostra de Prædestinatione doctrina, inde sequi illam eo tempore in Ecclesijs nostris non fuisse doctam ? Nullo modo sequitur. An non enim perspiciunt Remonstrantes eodem modo nos adversus ipsos æquè firma consequentia concludere posse: A Lasco in isto libro nihil scribit de Electione ex præviſa fide, de viribus Liberi Arbitrij, de Apostasia sanctorum, aliisque Remonstrantium articulis : Ergo isti articuli eo tempore in primis Reformatis nostris Ecclesiis in Anglia non fuerunt docti. 11. Dicunt, *Sed in isto libro doceri quædam, quæ omninò consentiunt cum Remonstrantium sententia.* Hoc ex scriptis Ioannis à Lasco nunquam probari poterit. Nos contrà tam ex dicto libro, quam ex scriptis ejus de Sacramentis Ecclesiæ Christi, atque aliis, probare possumus illum sententiam suam de Prædestinatione, Libero arbitrio, aliisq; cõtroversis articulis, ita declarare, ut satis cõsentanea sit sententiæ nostræ. Quod ipsum clarius adhuc liquet, quia scriptis suis de Sacramentis Ecclesiæ adjunxit Concordiam Ecclesiæ Tigurinæ & Genevensis in doctrina de Cœna, in qua doctrina nostra de hisce articulis, perspicuè traditur; quod sanè nequaquam feciſſet, nisi eandem approbasset. Quę adversus hæc nuper quidam ex Remonstrantibus ex Ioanne à Lasco allegavit in quodam scripto suo, illa in Defensione Doctrinæ & Honoris Reformatarum Ecclesiarum earumque Doctorum, abundè sunt refutata.

Neque in Reformatis Ecclesijs in Belgio.

Postea accedunt ad Reformatas Belgicas Ecclesias *in hisce regionibus*, & conantur probare. 1. *Generatim : doctrinam ipsorum ab initio Reformationis in ijsdem fuisse doctam.* Quod nos negamus. Probationem hanc adferunt, *quia scripta Melanchthonis & Decades Bullingeri ab initio Reformationis à populo diligenter fuerunt perlecta.* Sed quam, quæso, infirmum est hoc argumentum ? An unquam ullus Melanchthonis liber in linguam Belgicam translatus fuit, ut à populo legi posset ? Nominent illum, si extat, & probent in illo doctrinam ipsorum esse traditam. Etiam si Melanchthon fuisset in sententia Remonstrantiũ (cujus tamen contrarium supra probavimus) quando quis librum aliquem legit, an ex eo concludi potest, propterea eum omnia approbare, quæ isto libro continentur ? Ac licet aliqui forte ex populo forent qui heterodoxas aliquas opiniones amplexi essent, an ex eo inferri posset tantas opiniones propterea esse re-

ceptam Ecclesiarum Doctrinam? Quod attinet ad *Decades Bullingeri*, illæ in Belgicum sermonem translatæ atque editæ sunt Belgice, anno 1563. atque ab eo tempore diligenter quidem à populo nostro sunt lectæ, non sine magno fructu, & forte etiam à Synodis Ecclesijs commendatæ; sed demonstravimus supra Bullingerum, etsi doctrinam de Prædestinatione molliusculè tractet, à posteriori, seu ab effectis Electionis ascendendo ad ipsam Caussam, nihilominus tamen fuisse in sententia nostra. Contrarium nunquam ex Decadibus illis, neque ex ullis ejus scriptis, verè demonstrari poterit. Constat etiam libros *Calvini*, ac nominatim ejus *Institutiones* jam ante libros Bullingeri anno 1560. in Belgicū sermoné versos esse: quosdam ex ijs etiam jussu Synodorum: & prius ac potius lectos fuisse à populo, quam ullos alios libros. 11. *Singulatim*: atque eum in finem Remonstrantes obambulant Provincias hasce Fœderatas, ut perspiciant quot Remonstrantes iam olim in iisdem fuerint.

Non in Ducatu Geldriæ, nec in Comitatu Zutphaniæ.

Incipientes autem à Ducatu *Geldriæ* & Comitatu *Zutphaniæ*, primo loco producunt quendam *Anastasium Veluanum*, qui primus quasi Remōstrantium Belgicorum Patriarcha haberi videtur. Illud quidé verum est in Libello ipsius, cui titulus est *Der Leecken Wechwyser*, seu Hodegus Laicorum, sententiam Remonstrantium de Prædestinatone & Libero arbitrio aliquo modo doceri. Cæterùm cum paulò ante Sacrificus fuisset in Papatu, mirum non est eum aliquas istius fermenti reliquias servasse, præsertim cum fuerit parum eruditus, nec multum in controversiis exercitatus: atq; in doctrina etiam parum constās: quippe ad turpem doctrinæ Reformatæ (sed non in hisce articulis, in quibus cum Pontificiis consentiebat) abjurationé ab Inquisitoribus adactus. Libellum hunc etiam non conscripsit fungēs Ministerio in Reformatis Geldriæ Ecclesiis, sed cum iam Argentinam profugisset ex metu, ne Lovanij, quo ablegatus fuerat ut ibi Theologiæ Pontificiæ operam daret, in carcerē compingeretur *Henricus Antonides* libellum hunc laudat quidem, sed non propter doctrinam de Prædestinatione & Liberoarbitrio ineodem traditam: istam enim doctrinam ipse in disputationibus suis, in quarum præfatione hunc libellum laudat, disertè refutat: sed tantum propter brevem ac simplicem aliorum quorundam errorum ac superstitionum Papatus refutationem, quæ in in illo libello continetur: Nos contra clarè possumus demonstrare multis annis ante hunc *Anastasium*, ab anno 1522. in Reformatis Ecclesiis Ducatus Geidriæ & Comitatus Zutpha-

Anastasius Veluanus.

Zutphaniæ sententiam nostram receptam & traditam fuisse ab *Henrico Zutphanienſi*, qui in *Dietmarſia* propter Euangelii confessionem martyrio coronatus fuit, à *Wilhelmo Zwollano*, *Gerardo Noviomago*, aliisque pluribus: atque hanc Anastasij sententiam ab ijsdem Ecclesiis nunquam fuisse receptam.

Inde descendunt in nostram *Hollandiam* & *VVest-Friſiam*, dicuntque 1, *In hiſce Regionibus multos Miniſtros eſſe mortuos, multoſque adhuc in vivis eſſe, viros ſenes, qui declararunt, atque etiam nunc declarant, nunquam ſe aliter ſenſiſſe, quam nunc ſentiunt Remonſtrantes, in hac materia.* De illis qui mortui sunt, licet illis multa jactare, quia isti jam nequeunt quidquam contra asserere: sed arbitramur, si hoc ipsis foret probandum, Remonstrantes haud multa talium exempla posse producere. Reliquis enim Ministris idipsum tam constaret, quam Remonsttantibus. Verum tametsi ita se res haberet, quid hoc Remonstrantibus prodesset? Non enim controvertitur, an olim in hisce Ecclesiis quidam fuerint in sententia Remonstrantium, sed an hæc sententia in hisce Ecclesiis fuerit recepta & publicè docta sine contradictione & Censura Ecclesiarum. Si alicubi fortè nonnulli, reperti fuerint ejus sententiæ, aut fuerunt homines imperitiores, qui ex Pontificio Ministerio recenter ad nos transeuntes, fermentum pontificum ita omninò non expurgaverant quin retinuerint aliquando prioris sententiæ de hisce articulis, quam habuerant in Papatu, nonnullas reliquias. At verò qui secundū hanc sententiam in hisce Reformatis Ecclesiis docere voluerunt, illi aut semper propterea ab Ecclesijs censura notati fuerunt, aut sententiam hanc sibi servarunt, neque ullam Ecclesiis super illa molestiam exhibuerunt, sed pacificè se gesserunt, & contrariam Ecclesiarum sententiam nunquam refutarunt aut calumniati fuerunt. Adeò ut cuncta hæc exempla Remonstrantibus nequaquam prodesse queant, ad probandum sententiam ipsorum in Ecclesijs Hollandicis publicè doctam aut receptam fuisse. Quod ad Ministros senes attinet, qui adhuc in vivis sunt, & Remonstrantium sententiæ addicti sint, ac semper fuerint, arbitramur haud ita multos tales posse nominari. Nuper quidam editione cujusdam Libelli se manifestavit, qui olim inter Anabaptistas Admonitoris, ut vocant, munere functus fuit, & ante aliquot annos, ex defectu hominum magis idoneorum, à nonnullis, qui eo tempore haud ita accuratè examinabant, ad Ministerium admissus fuit. Postmodum cum alij doctrinæ accurationem ha-

Neque in Hollandia & West-Friſia.

berent rationem, idem ille in Ministerio non fuit toleratus, nisi sub solemni hac promissione, se sententiam suam sibi servaturum, & quietè sese gesturum. Senex hic satis ostendit in isto libello suo, se virum esse satis in Theologicis rudem atque imperitum, qui in hisce controversijs nostris parum sit versatus, & ingenio præditus simpliciori. Possent etiam nonnulli, tum senes, tum juvenes Ministri, demonstrari, qui propterea quod videant Remonstrantes in flagranti esse apud nonnullos Proceres gratia, nunc longè aliter sententiam suam de hisce articulis controversis declarant, quam ante hac solent, quò hac ratione in extraordinariis petitionibus majorem sibi concilient favorem, meliusque obtineant: uti quotidie fieri videmus. Nos contra innumera Ministrorum senum, tam Mortuorum quam viventium, exempla producere possemus, qui ab ipso Ministerii sui initio semper in sententia nostra fuerunt, eandem publicè docuerunt, & Remonstrantium sententiam refutarunt, sine ulla Ecclesiarum contradictione aut censura, in quam proculdubio incurrissent, si non docuissent consentanee doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum. Quare Antiquitas doctrinæ Remonstrantium exemplis paucorum senum probari nequit.

In quibus oppidis Hollandiæ Remonstrantium sententia antehac fuerit docta.

11. Dicunt doctrinam ipsorum in diversis Hollandiæ nostræ oppidis, scilicet *Roterodami*, *Goudæ*, *Hornæ*, & *Leydæ*, fuisse doctam: ac proinde ipsorum doctrinam non esse novam in hisce Ecclesijs. Respondemus iterum, si qui fortè in oppidis illis olim fuerunt Ministri Remonstrantium sententiæ addicti, illos aut sententiam illam sibi servasse, aut si eam docere tentaverint, id nunquam factum fuisse sine Ecclesiarum contradictione & censura. Adeò ut istiusmodi exempla Remonstrantibus prodesse nequaquam possint: sed contra ex ijsdem solidè potest demonstrari, Remonstrantium sententiam ab hisce Ecclesijs semper fuisse rejectam, & condemnatam.

Roteroda-mum.

Roterodami, inquiunt, *narratur de quodam Iohanne Isbrandi, qui in initio Reformationis ibidem docens, & de Calvini Prædestinatione audiens, eandem jam illo tempore publicè refutabat; nonnulla etiam membra Ecclesiæ seniora, cum animadverterent quosdam alios eandem conari introducere, propterea ab illa Ecclesia secessionem fecisse.* Cum Remonstrantes doctrinam

ctrinam noſtram de Prædeſtinatione vocant *Calvini Prædeſtinationem*, quorſum illa denominatio ſpectat, quam ut ludibrio eam afficiat, quaſi Calvinus doctrinam hanc ex cerebro ſuo finxiſſet? Prædeſtinatio non eſt Calvini, nec ullius mortalis, ſed DEI, qui ante acta mundi fundamenta ad vitam æternam prædeſtinavit, quos voluit: de qua divina Prædeſtinatione, inter Reformatos doctores non *Calvinus* primus, docuit, ſed *Lutherus*, *Zuinglius*, *Oecolampadius*, multique alij ante ipſum ſententiam de ea noſtram docuerunt, contra errores Pontificiorum, quos Remonſtrantes nunc revocant, & tuentur.

Quis hic fuerit *Iohannes Iſbrandi*, quando, & quomodo ad Miniſterium pervenerit, quid de hac materia docuerit, an Remonſtrantium ſententiam publicè propoſuerit, ita ut non fuerit cenſura notatus, incognitum eſt in hiſce Reformatis Eccleſijs. Nos antehac ne nomen quidem eius nominari audivimus. Quare Remonſtrantes de ipſo quidlibet poſſent dicere: Nemo enim ipſis facilè contradicet, quia loquuntur de viro ignoto. Perſuademus etiam nobis certò, illos vix aliquid certi de ipſo poſſe narrare, niſi ex ore unius atque alterius Roterodamenſis, qui nunc ipſorum ſit ſententiæ addictus, ut hac ratione doctrinæ Remonſtrantium, quam in illam Eccleſiam *Nicolus Grevinchovius* ante paucos annos introduxit, aliquam antiquitatis famam concilient. Etiamſi Iohannes Iſbrandi ita docuiſſet, tamen ex hoc ipſo, quod hic Remonſtrantes dicunt, ſatis patet, non illam doctrinam, ſed noſtram fuiſſe ab Eccleſia Roterodamenſi receptam. Cum enim dicunt *nonnulla ſeniora membra Eccleſiæ illius ſeceſſionem ab illa Eccleſia feciſſe, quia noſtram ſententiam amplecti non poſſent*, ſatis indicant ſententiam noſtram ab illa Eccleſia fuiſſe receptam, ſecus enim nullam ſeceſſionis habuiſſent cauſſam. Id ipſum conſtat etiam ex Rithmis quibuſdam, in quibus ſententia noſtra breviter & commodè explicatur, publicè in templi majoris parietibus ad æternam memoriam & teſtificationem de doctrina in illa Eccleſia recepta, deſcriptis. Quod ſi igitur Iohannes Iſbrandi Remonſtrantium doctrinam forte docuit, patet eum doctrinam docuiſſe pugnantem cum recepta Reformatæ Roterodamenſis Eccleſiæ doctrina: quod ſanè antiquitatem non Remonſtrantium doctrinæ, ſed noſtræ, in illa Eccleſia, comprobaret. Ioannes Iſbrandi.

Verum

Verum quid juvat rebus illis incognitis inhærere, cum universis hisce Reformatis Ecclesijs notissimum sit, in Ecclesia Roterodamensi, à fidelissimo, doctissimo, ac pijssimo illo *Casparo Grevinchovio*, Ecclesiæ illius per multos annos pastore, uti quoque ab illius collegis, consentienter & constanter sententiam nostram traditam ac propugnatam fuisse, non solùm concionibus, sed etiam publicis adversus novos hosce Lutheranos scriptis, cum ibidem sedes suas figere, atque inter errores reliquos, etiam doctrinam Remonstrantium ibi disseminare inciperent? Constat etiam doctrinam nostram non tantum ab illa Ecclesia receptam, sed etiam ibidem multò magis quam in ulla vicina Ecclesia propugnatam fuisse, donec tandem post obitum hujus fidissimi pastoris in confessione doctrinæ nostræ piè defuncti, filius ipsius *Nicolaus Grevinchovius* à doctrina & vestigijs parentis sui absistens, per ejectionem collegæ sui, qui nostræ sententiæ erat addictus, extra & contra omnem ordinem Ecclesiasticum, favore & autoritate Magistratus, Remonstrantium doctrinam in publica templa introduxit: ita tamen ut pleraque Ecclesiæ illius membra maximè pia & in scripturis versita novam illius doctrinam recipere nolint, sed se ab ipso, ejusque assecles separent, & constanter in recepta doctrina perseverent.

Gouda. Roterodamo Remonstrantes abeunt *Goudam*, dicuntque *constare, in oppido Goudensi Remonstrantium sententiam usque in hunc diem publicè fuisse protectam.* Sententiam Remonstrantium in Ecclesia Goudensi, quæ reformata fuit anno 1572. ante Hermanni Herberti adventum, qui circa annum 1583. ad illam Ecclesiam demum venit, fuisse publicè doctam, existimamus à Remonstrantibus probari non posse. Quin potius est probabile, ibidem nostram sententiam prius fuisse doctam, antequam Herbertus, unà cum multis alijs erroribus suis, Remonstrantium sententiam ibi plantaverit, ac proinde sententiam nostram esse in illa Ecclesia Remonstrantium sententia antiquiorem. Cæterùm quo-

Hermannus Herbertus. modo Remonstrantiũ sentẽtia in illam Ecclesiam primùm fuerit introducta, atque ibidem protecta, paucis videamus, *Hermannus quidam Herbertus*, olim Monachus in Papatu, ac postea ad Ministerium promotus inter Augustanæ Confessionis sectatores, tandem Ministerium nactus est Vesaliæ, atque inde anno 1579. vocatus fuit Dordrechtum, ubi cum paucis annis Ministerio functus esset, incepit quà privatim quà publicè se ita manifestare, ut constaret diversos eum errores cum recepta Reformatarum Ecclesia-

cleſiarum doctrina pugnantes, non tantum in articulis de Prædeſtinatione, eique annexis, ſed etiam in plurimis aliis, fovere: adeò quidem ut non ſine gravi cauſſa ſuſpectus eſſet, quod non eſſet alienus ab execrandis illis *Davidis Georgij*. *Henrici Nicolai*, ac ſimilium Libertinorum portentis. Eccleſia Dordrechtana cum illo hac de re ſæpius contulit, atque eouſque ibidem contra ipſum fuit actum, ut tandem cum Magiſtratus & Claſſis conſenſu & approbatione, propter heterodoxiam in doctrina, à Miniſterio Eccleſiæ Dordrechtanæ ſit remotus. Huic Eccleſiaſticæ cenſuræ cum adhuc ſubeſſet, profugit Goudam, ubi iterum ad Miniſterium admiſſus fuit, atque ibidem majorem nactus libertatem, in illa Eccleſia præter multos alios errores, doctrinam quoque Remonſtrantium plantavit. Atque ut hoc ſine obſtaculis facere poſſet, eò rem deduxit, ut Miniſtri Collegæ ipſius, qui erroribus ejus aſſentiri nollent, quales fuerunt *Everardus Bommelius*, *Iohannes Andelius*, alijque, ibidem conſiſtere nequiverint, donec tandem filium ſuum, atque alium quendam ipſius erroribus addictum, collegas nactus fuit; qui deinde poſt ipſius obitum, alium quendam in locum ipſius ſuffecerunt, à quo, cum eo vocaretur, poſtularunt, ne Catechiſmum Goudæ doceret, quod ſit in aliis Reformatis Eccleſiis hujus regionis, ne doceret de Prædeſtinatione, neque de peccato Originali, nec de Iuſtificatione per fidē, niſi ſimul adjungantur bona opera. In tali unitate hæc Eccleſia conſiſtit cum reliquis Eccleſiis Reformatis. Quare illud quidem verum eſt, per hunc Hermannum, præter alios craſſos ejus errores, ſententiam Remonſtrā. tium in Eccleſiam Goudenſem eſſe introductam; ſed quod addunt, *eandem publicè ibi fuiſſe protectam uſque in hunc diem*, illud dupliciter intelligi poteſt, nimirum ut hoc ſit factū, aut ab Eccleſia, aut à Magiſtratu. Quod ad Eccleſiam attinet, tantum abeſt, ut Hermanni ſententia à Reformatis Hollandiæ Eccleſiis protecta fuerit, ut actionem contra eum Dordrechti inceptam, per multos annos continuò Eccleſiæ ſint proſecutæ in diverſis harum Eccleſiarum Synodis, ita ut aliquando culpam agnoſcens & deprecatus reſtitutus ſit, ac poſtea ad ingenium redeunti novæ contra ipſum actiones ſint intentatæ, donec tandem anno 1591. publico Eccleſiarum Hollandicarum, Hagæ Synodaliter congregatarum, judicio *non tantum ab uſu Cœnæ, ſed etiam à Miniſterio Verbi & Sacramentorum abſtinere juſſus eſt, ut ne diutius agnoſceretur pro Miniſtro Reformatæ Eccleſiæ, neque quemquam ſub hoc titulo deinceps falleret, quandoquidem fundamentis doctrinæ harum Eccleſia-*

rum in Catechismo comprehensæ non assentiretur, sed potius illa oppugnaret, quemadmodum in Actis dictæ Sinodi diserte dicitur: tametsi postea denuò culpam suam deprecatus cum Ecclesiis aliquo modo in gratiam redierit. In Ecclesijs Hollandicis nulli unquam Ministro tam acriter, aut tam diu, quam huic Goudensi, propter introductionem sententiæ Remonstrantium aliorumque errorum restitum unquam fuit. Adeo ut vel inde manifestè liqueat, Reformatas hasce Ecclesias hanc sententiam non protexisse, sed eidem semper restitisse, eam condemnasse, atque omnibus modis extra Ecclesias eliminasse. Etiam in ipsa Ecclesia Goudana fuerunt, uti jam diximus, diversi Ministri, qui se Herberti opinioni opposuerunt, atque eam ob caussam inde discedere coacti fuerunt. Inventa quoque ibi semper fuerunt plurima Ecclesiæ istius pia membra, quæ sententiam hanc nunquam amplecti voluerunt. Si nostra sententia ibidem sine persecutione doceri posset, experientia ipsa deprehenderemus (etiamsi Remonstrantium sententia ibidem in publicis Templis jam multis annis locum habuerit) à majori & maxime pia istius Ecclesiæ parte sententiam Remonstrantium nondum esse receptam. Quod ad Magistrum attinet, constat etiam Supremum hujus Regionis Magistratum errores hujus Herberti nunquam autoritate sua protexisse, quin potius actiones Ecclesiarum contra ipsum approbasse. Particularis oppidi Goudensis Magistratus hunc Hermannum quidem adversus actiones Ecclesiarum protexit, sed quid est quod inde Remonstrantes volunt inferre? Quia particularis aliquis Magistratus adversus commune Ecclesiarum nostrarum Reformatarum judicium doctrinam aliquam protegit, an inde concludi poterit doctrinam illam propterea orthodoxam & antiquam esse? Contrarium inde efficacius posset concludi, nimirum cum particularis aliquis Magistratus doctrinam aliquam, quæ est ab omnibus totius Regionis Ecclesiis Reformatis condemnata est, protegit, eam non posse pro Orthodoxa & Reformata Doctrina censeri: nisi dicere fortè velimus, particularem aliquem Magistratum, qui sæpè consistit ex hominibus diversum & alienum de Religione sentientibus, melius de doctrina judicare posse, quam omnes Reformatæ Ecclesiæ, earumque Pastores. Magistratus Goudensis in persona Herberti non tantum sententiam Remonstrantium, sed multos alios protexit errores, quos Herbertus iste ibidem docuit, quales in-

ter

ter alios hi sunt: *Hominem justificari per opera Fidei & Spiritus. Hominem regenitum Legem* DEI *in hac vita perfectè posse præstare. Christum perfectiorem exigere obedientiam, quam quæ in Lege præscribitur. Scripturam esse obscurum Parabolicum verbum, & velum, quo Spiritus, eiusque sensus, obtegitur. Ecclesiam cum Anabaptistis non necessariam habere litem de Pædobaptismo Christum alio modo debere agnosci, quam secundum literam Scripturæ. Christum esse Obedientiam Patris, & Fideles cum à veteri Adamo convertuntur in novum, hunc novum Adamum esse Christum.* Sunt alij quam plurimi eiusmodi errores, qui passim in scriptis ipsius inveniuntur. Anne igitur & hæc dogmata habenda sunt pro antiqua & Reformata Doctrina, quia in Herberto à Magistratu illo contra Ecclesiarum Reformatarum judicium protecta fuerunt? Constat etiam ex literis eiusdem Herberti illum magnam per literas familiaritatem coluisse cum *Matthæo Radecio* Reipublicæ Dantiscanæ Secretario, qui præcipuus doctrinæ Socinianæ Patronus fuit, quem in Epistola ad quendam *Montanum* idem cum ipso sentire agnoscit. Constat etiam illum curasse, ut Liber Davidis Georgii, cui titulus, *Het Wonder-Boeck*, seu Liber mirabilis, recuderetur, eumque librum alijs commendasse. Anne etiam ex hisce concludetur doctrinam Socinianam & abominandas Davidis Georgij blasphemias in Ecclesia Goudensi fuisse protectas, ac propterea etiam antiquam atque Reformatam esse doctrinam? Quoniam Herbertus iste tot tantisque scatens erroribus contra Ecclesiarum Reformatarum sententiam Goudæ protectus fuit, hinc factum fuit, ut omnes fanatici ac Libertini, quales inter alios fuerunt *Franciscus Puccius*, *Theodorus Cornhertius*, *Casparus Coolhasius*, *Hubrechtus de Bye*, *Conradus Vorstius*, alijque ejusdem farinæ homines, eò confugerint, ut ibidem quoque protegantur. An-ne igitur Remonstrantes hinc etiam concludent horum hominum errores & abominationes antiquam Reformatam doctrinam esse, quia Goudæ locum habuerunt, atque etiam nunc habent? Addunt, *hanc eandem Ecclesiam, ejusque Ministros nihilominus habitos pro membris Ecclesiæ Reformatæ.* Quod ad Ecclesiam attinet, quia melior, ac fortè etiam major pars, hosce

errores non approbat, non debet ista ex numero Ecclesiarũ Reformatarum excludi. Sed quod ad Ministros attinet, patet ex actis Synodalibus Ecclesias hasce Reformatas declarasse Hermannum Herbertum haberi non posse pro Ministro Ecclesiarum Reformatarum: quemadmodum nec pro tali habitus fuit, donec agnita culpa cum Ecclesijs fuerit reconciliatus. Filius ipsius semper declaravit, donec Arminius se tandem manifestavit, se doctrinam & actiones parentis improbare: ac proinde Ecclesiæ Reformatę causam non habebant, cur eum pro Reformato Ministro non agnoscerent. Qui nunc in illa Ecclesia ministerio funguntur omnes pro Remonstrantibus habentur, qui an pro genuinis Reformatarum Ecclesiarum doctoribus censeri possint, in Synodo Nationali dijudicabitur.

Horna. Inde abeunt *Hornam*, ubi tres inveniunt Ministros, quos dicunt jam olim suæ sententiæ fuisse addictos. Duo priores sunt *Clemens Martini, & Cornelius Meinardi*, de quibus dicunt, *eos Remonstrantium sententia fuisse adstipulatos.* Sed hoc clarè demonstrari non poterit. Producunt duo argumenta quibus hoc probent. 1. *Quia Clemens Martini sæpius fuerit professus, se ab initio ministerij sui nunquam aliam de Prædestinatione sententiam habuisse, aut docuisse, quam Melanchthonis, eamque didicisse ab Hardenbergio, qui ex primis fuit Reformatis Ministris Emdensibus.* Etsi hæc res ita, uti dicunt, se haberet, inde probari nondum posset eum docuisse consentane è sententiæ Remonstrantium. Supra enim probavimus Melanchthonem à Calvino non discrepasse in doctrinæ substantia, sed tantum in modo eam tradendi, quem modum Clemens Martini forte ab Hardenbergio didicerit, ac postea retinuerit, quippe qui aliquando magis idoneus est ad doctrinam hanc cum ædificatione populo proponendam, quam alter ille modus, quando à priori descenditur ad posterius, ab Electione ad ejus effecta. *Hardenbergius* non fuit ex primis Ecclesiæ Emdensis & Oost-Frisiæ Reformatoribus. Illum enim præcesserunt multi doctores Reformati, nimirum *Aportanus, Resius, Rodius*, alijque, qui nostræ fuerunt sententiæ addicti, uti liquere potest ex ipsorum Confessionibus jam tum anno 28. & 30. editis. Hardenbergius prius Bremæ ministerio functus fuit, unde concessit Emdam; nec consentaneum est eum novam ibidem, contra istius Ecclesiæ confessionem, doctrinam introduxisse. 2. Probare hoc annituntur ex quadam Apologia ab illis ambobus edita, *in qua satis rotondè declarent se Remonstrantium sententia assentiri.* Quod ipsum

Clemens Martini, & Cornelius Meinardi.

Hardenbergius.

ipsum quoque verum non est. In hac Apologia nusquam hoc rotundè declaratur. Dicunt enim in eadem: *Quod ad Prædestinationem attinet, quam neutiquam rejicimus, molliori Henrici Bullingeri explicationi adhæremus.* Probavimus autem supra Bullingerum non cum Remonstrantibus, sed nobiscum sensisse. Quod ad Perseverantiam & Certitudinem salutis attinet, agnoscunt, *Electos Dei fideles custodiri ad salutem postremis temporibus revelandam. 1. Petr. 1. ab ea non posse deficere: atque huc facere loca Matth. 24. 24. & 1. Ioh. 3. 9.* Multaque alia ejusdem sententiæ. Approbarunt etiam censuram Suspensionis à munere, qua Cornelius Viggerus, quia sententiam Remonstrantium docuerat, notatus fuit: ac publicè in Synodo Hornana anno 1596. declararunt, *se velle persistere in unitate cum Reformatis Ecclesijs, tam in doctrina, quam in ordine Ecclesiastico, præterquam quod in doctrina de Prædestinatione tam altum non possent sentire, quam nonnulli aly sentirent, quos tamen nollent reprehendere aut refutare.* Clemens Martini etiam interfuit Synodo Nationali Emdæ celebratæ anno 1571. in qua statutum fuit, ut utraque Confessio & Nostrarum, & Gallicarum Ecclesiarum, subscriberetur, in quibus sententia nostra perspicuè traditur. Ac quamvis fortè in sententia Remonstrantium fuerint, nunquam tamen probabitur, ipsos sententiam illam publicè aut privatim docuisse aut disseminasse, multò minus nostram sententiam condemnasse, refutasse, aut calumnijs onerasse, uti nunc faciunt Remonstrantes. Declararunt, *Hanc Apologiam contra ipsorum mentem in lucem editam fuisse: se sententiam reliquorum Reformatorum doctorum nolle reprehendere: polliciti tam in concionibus quam in familiaribus collationibus ita se gesturos, ut nunquam deprehenderetur aliud eos docere, quam ipsum salutis fundamentum, quod consistit in gratuita justitiæ & sanctitatis Iesu Christi imputatione.*

Cornelius Viggerus.

Tertius est *Cornelius Viggerus*, horum Collega, quem libenter agnoscimus sententiæ Remonstrantium fuisse addictum. Verum omnes isti etiam rectè norunt, illum cum hanc sententiam doceret, ac disseminaret, à munere suo fuisse suspensum, quia secundum judicium Facultatis Theologicæ in Academia Leydensi, Ecclesiarum Reformatarum Northollandiæ, & nonnullorum deputatorum Ministrorum, inter quos etiam fuit is, qui nunc Remonstrantium Coryphæus est, doctrinam doceret repugnantem sententiæ harum Ecclesiarum Reformatarum. Vnde manifestè patet Reformatas harum regionum Ecclesias tum tem-

poris judicasse sententiam nostram esse communem ac receptam harum Ecclesiarum doctrinam, Remonstrantium verò sententiam esse Novitatem in ijsdem.

Leyda, seu Lugdunum Batavorũ.

Tandem veniunt *Leydam*, ubi nullum producunt ex Ministris Ecclesiæ Leydensis, qui ante hæc tempora ipsorum sententiæ fuerit addictus. Ex omnibus illius Ecclesiæ Ministris, qui ibidem ab initio Reformationis docuerunt, ante Arminij adventum in Academiam Leydensem, nullum alium producere possent, qui in ipsorum fuerit sententia, præter quendam *Casparum Coolhasium*, quem tacitè hic prætereunt, quandoquidem propter hanc Remonstrantium doctrinam ab omnibus Reformatis Belgicæ Ecclesijs solemni Censura in Synodo Nationali fuit notatus, ne inde nos occasionem caperemus demonstrandi, uti clarè fieri potest, doctrinam ipsorum in hujus Coolhasij persona à Reformatis totius Belgicæ Ecclesijs fuisse condemnatam. Quare missa Ecclesia accedunt ad Academiam, & ex tot præstantibus ac doctissimis viris, qui in eadem Sacram Theologiam publicè professi fuerunt, unicum tantum *Holmannum* producunt, qui ibidem haud ita diu docuit, & nulla scripta reliquit, ex quibus de sententia ipsius in hisce articulis constare queat. Remonstrantes in alijs ipsorum scriptis sæpius illum tanquam sententiæ ipsorum addictum nominarunt, sed nunquam aut ex lectionibus, aut ex disputationibus ejus, ullum argumentum produxerunt, quo posset demonstrari, *illum*, uti dicunt, *hanc sententiam in Academia Leydensi docuisse*. Nos contra abundè nos probaturos recipimus sententiam nostram in eadem Academia à *Figuræo*, *Sturmio*, *Danæo*, *Saravia*, *Carolo Gallo*, *Francisco Iunio*, utroque *Trelcatio*, Patre & Filio, *Francisco Gomaro*, alijsque, magno cum consensu publicè fuisse doctam, & Remonstrantium doctrinam refutatam, donec tandem *Arminius* Remonstrantium sententiam primus docuit, & in illam Academiam introduxit. Si *Beza*, uti dicunt, *hunc Holmannum commendavit, ut pote qui judicaret ipsius, hoc est, Melanchthonianam Theologiam in hisce Ecclesijs maximè esse idoneam*, ex eo probari nequit, illum fuisse in sententia Remonstrantium. Melanchthoniana enim Theologia in ipsa doctrinæ substantia à nostra non dissentit, uti supra fuit demonstratum. Si verò Beza eum Ecclesijs nostris commendavit, non est credibile, eum sententiæ Remonstrantium planè fuisse addictum. Bezæ enim optimè constabat

Casparus Coolhasius.

Holmannus.

Ecclesias

Ecclesias nostras omnes stare in sententia Ecclesiarum Gallicarum; an igitur consentaneum erit eum quenquam hisce Ecclesijs voluisse commendare, ut Doctor esset in illarum Academia publica, quem sciret cum ijsdem non stare in eadem sententia? Quid hoc aliud foret, quam Ecclesias illas dedita opera conjicere in difficultates & dissensiones? Quod sanè vir tanta pietate præditus, quem scimus doctrinæ puritatem tam singulari zelo prosecutum, & adversus eos, qui in hisce articulis errabant, tam cordatè tuitum, ut faceret, ne cogitare quidem voluerit. Ex quibus omnibus manifestè patet Remonstrantes omnibus hisce, quæ produxerunt, exemplis non posse probare, idipsum, quod inter nos atque ipsos controvertitur; scilicet Doctrinam ipsorum in hisce Ecclesijs fuisse receptam, ac proinde nostra antiquiorem: sed potius contrarium à nobis his ipsis exemplis posse doceri.

Mirari licet cur Remonstrantes hisce oppidis etiam non adjungant oppidum *Medenblicense*, ubi *Taco* quidam sententiam Remonstrantium aliquo modo docuit. Verùm probè sciverunt eum propterea etiam ab hisce Ecclesijs censura fuisse notatum: ac fortè etiam veriti fuerunt, nos iterum ipsis fuisse objecturos illud, quod Taco iste publicè in Classe Enchusana professus est, Vtenbogardum dedisse apud ipsum operam, ut calceos eosdem, quos ille olim ipsi detraxerat, iterum indueret. Notandum quoque hic est Remonstrantes nullum hic posse producere exemplum, quo probetur ante tempora *Arminij* sententiam Remonstrantium *Dordrechti*, *Delphis*, *Harlemi*, *Amstelodami*, *Enchusæ*, *Gorinchemy*, *Alcmariæ*, *Schiedami*, *Brilæ*, *Schoonhoviæ*, *Oudewateriæ*, *Voerdæ*, *Edami*, *Monachodami*, *Purmerendæ*, alijsve Hollandiæ oppidis, doctam aut receptam fuisse.

Medenblicum.

Taco.

Reliquæ civitates Hollandiæ.

Ex Hollandia Remonstrantes abeunt in *Provinciam Vltrajectinam*, & dicunt: *In Provincia Vltrajectina consentaneè doctrinæ Melanchthonis tam maturè, si non maturius, quam illi eò venirent, qui aliam sententiam docebant, in prima Reformatione esse doctum.* De Melanchthonis sententia supra dictum fuit. Etiamsi eidem consentaneè in initio Reformationis esset doctum, illud caussæ nostræ nihil obesset, uti supra ostensum fuit. Si verò dicere velint Remonstrantium sententiam ibidem tam maturè aut maturius fuisse doctam, hoc illis erat probandum. Illud quidem forte factum aliquando fuerit, ut alicubi in

An in Provincia Vltrajectina sententia Remonstrantium olim docta fuerit.

pagis

pagis Sacrifici quidam Pontificij in Ministerio Ecclesiarũ istarum manserint, qui tantum mutato nomine Sacrifici in nomẽ Ministri, præter ceremonias Pontificias in Baptismi administratione, aliisq; , etiam Pontificiam doctrinam, in hisce præsertim articulis, retinuerint & docuerint . Hanc enim confusionem in Provincia Vltrajectina diu fuisse toleratam omnibus est notissimum . Nam quod attinet ad Ecclesiam, quæ in ipsa urbe Vltrajectina collecta fuit, si de prima agimus Reformatione, in illa fuerunt præstantissimi illi viri *Ioannes Rodius*, & *Cornelius Honius*, qui in nostra steterunt sententia. Sed si de publica agimus Reformatione, verum quidem est in ejus initio ibi fuisse quendam Magistrum *Hubrechtum* , qui Pastor fuerat in Papatu Ecclesiæ ad D. Iacobum , & ad Reformatorum partes transiens, separatam ibi Ecclesiam erigebat , in qua non tantum nullum ordinem observabat, nec disciplinam ullam exercebat, sed adhuc Pontificia quædam dogmata , ac fortè etiam hanc Remonstrantium sententiam, docebat. At verò juxta illum in aliis templis multi alij pij ac docti viri , quales fuerunt *Hermannus Modedus* , *Nicolaus Sopingius* , *Wernerus Helmichius*, aliique qui apertè sententiæ nostræ fuerunt addicti , eam publicè ibi docuerunt , atque hujus sacrifici erroribus & confusionibus restiterunt : ita ut etiam publica Magistratus auctoritate illi abrogatum sit concionandi munus, & pura doctrina cum sincero Dei cultu in omnibus Templis ibidem sit restituta , atque introducta. Ipse etiam *Ioannes Vtenbogardus* , qui nunc Remonstrantium coryphæus est, tum temporis cum supradictis Pastoribus in eadem stetit sententia , atque una cum ijsdem Sacrifico huic restitit , atque ex Ecclesia ista illum ejecit. Constat etiam doctrinam nostram Confessione nostra comprehensam anno 1586. solenniter in Curia Vltrajectina, præsente toto Senatu, & generosissimo Comite Niewenariæ, Mursiæ, &c. receptam esse, atque ab omnibus urbis Pastoribus, inter quos etiam tunc erat Vtenbogardus, fuisse subsignatam. Cum ibidem postea *Blockhovius* quidam Remonstrantiũ sententiam publicè docere tentaret, illi à reliquis Ministris Verbi & tota Ecclesia non tantum contradictum fuit, sed iusta etiam ab illis notatus est censura. Atque in eadem Ecclesia sententia nostra semper permansit & tradita fuit , donec Vtenbogardus, ab orthodoxa sententia deficiens, versutissimis artibus, doctrinam Remonstrantium, & doctores eidem addictos , in Ecclesiam illam introduxerit, qui tamen haud multos in Ecclesia illa sectatores inveniunt, cum membra ejus Ecclesiæ maximè pia,

M. Hubrechtus.

Ioannes Vtenbogardus.

& in

& in Scripturis maximè versata, constanter in recepta nostræ sententiæ doctrina persistant, tametsi jam per aliquot annos conati fuerint Remonstrantes doctrinam suam vi armata ibidem plantare ac tueri.

Quænam vero sit Remonstrantium intentio in introductione hujus novæ doctrinæ, nullibi clarius cōspici potest, quam in Provincia Vltrajectina, in qua superiores facti videntur, scilicet omnes illos qui nostræ sententiæ sunt addicti, ex publicis Ecclesiarum Ministeriis progressu temporis excludere, Ecclesias coactiva Magistatus potestate, & vi armorum cogere, ut aut Remonstrantium doctrinam contra conscientiam recipiant, aut ut vivant sine omni Religionis & cultus divini exercitio: adeo quidem, ut ipsis non sit licitum extra Provinciam audire conciones Ministrorum sententiæ nostræ: Hæc est illa amica *Tolerantia* Remonstrantium, quam etiam Vltrajectini Pastores semper in ore & in calamo, sed in corde nequaquam habent, uti manifestè & publicè patet ex ipsorum Actionibus & Interdictis publicis. Huc accedit, in Provincia Vitrajectina non obscurè nunc liquere, hanc esse Remonstrantium intentionem, quinque hisce de Prædestinatione eique annexis articulis, viam sibi præparare ad introductionem reliquorum errorum & portentorum Socinianorum, quod semper Ecclesiæ nostræ gravissimas ob causas veritæ fuerunt. Constat enim Remonstrantes ibidem incipere manifestos ac cognitos Socinianos ad ministerium Ecclesiarum istarum promovere, uti haud ira prīdem hoc conspectum fuit in promotione cujusdam *Henrici Velsingij*, qui Franekeræ excudi curavit libellum *Socini, de Officio hominis Christiani in hodiernis istis de Religione controversiis*, quem huic fini Socinus conscripsit, ut Christianis omnibus consulat ac persuadeat, si salvi velint fieri, ut relicta religione Reformata Socinianis se adjungant cœtibus: in quem finē etiam omnia Socinianorum dogmata ibi recēsentur ac defenduntur, & Reformatorum refutantur. Hunc Socini librum Velsingius iste eum in finem non tantum recudi curavit, sed præfationem etiam ei suam præfixit, in qua libellum hunc apertè approbat, atq; Ecclesis commendat. Postea etiam liberis præstantis cujusdam Nobilis præfectus, conatus fuit familiam illam abominandis Socini erroribus inficere. Hisce non obstantibus Remonstrantes Vltrajectini, horum omnium probè conscij, atque ab Arnhemiensi Pastore satis superque diserte admoniti, hunc tam manifestè cognitum Socinianum, qui errores suos publicè nunquam revocavit, aut Eccle-

Henricus Velsingius.

sijs hisce Reformatis nunquam debitè satisfecit, nihilominus Ministerio Reformatæ Ecclesiæ in pago *Martensdijck*, in diœcesi Vltrajectina, præfecerunt, & pro Reformato Pastore agnoscunt. Fertur etiam cum esset admittendus, consultum ipsi fuisse ne gentilitio *Velsingij* nomine, quod per actionem illam Franekerensem nimis innotuerat, uteretur, sed assumeret tantum parentis nomem, & se vocaret *Henricum Rutgeri*, ne fortè Nobiles ac Potentes Provinciæ Vltrajectinæ Ordines, audito Velsingij nomine, hominem agnoscerent, aut sinistri quid suspicarentur, atque hac ratione causam haberent in vocationem ejus non consentiendi, quandoquidem Illustres illi Domini nequaquam permissuri essent, ut Socinianus aliquis in ipsorum Provincia ad Ministerium promoveretur. Eandem esse Remonstrantium in Hollandia intentionem manifestè etiam patet, Quid enim aliud faciunt, quam ut potestate Magistratuum, quos miris atribus in partes suas pertrahere norunt, omnes illos qui nostræ sententiæ sunt addicti, ubicunque id facere poterunt, aut ex ministerijs ejiciant, aut ex iisdem excludant, & contra suæ sententiæ sectatores ubique etiam invitis Ecclesiis, obtrudant. Ecclesias, quæ cum ipsis communionem habere nolunt, severissimis Interdictis ipsorum intercessione & gratia publicatis opprimant, & cogant, ubicunque possunt, aut Remonstrantium doctrinam sequi, aut sine Religionis exercitio vivere Ex concionibus, scriptis, & collationibus possunt omnes, qui in Socinianorum scriptis aliquo modo versati sunt; facile percipere, nisi planè stupidi aut cæci sunt, quonam inclinent. Cum Vtenbogardus cum reliquis Remonstrantibus vocationem *Conradi Vorstij* ad professionem Sacræ Theologiæ in Academia Leydensi procuraverit, atque etiamnum ejus causæ patrocinetur, cum Episcopius etiam in locum suum Ecclesiæ Bleswicensi sub Diœcesi Roterodamensi, commendaverit *Henricum Slatium*, quorum uterque tam palam gravissimis de caussis Socinianismi suspectus est, facile inde colligi potest, quid sentiant isti de Doctrina Sociniana, & quales Pastores in hasce Ecclesias essent introducturi, si aliquando superiores fierent.

Sententia in Ecclesijs Frisicis Remonstrantium sententia fuerit recepta. Gellius Snecanus.

Ex provincia Vltrajectina concedunt in *Frisiam*, ubi inter omnes Ministros, qui unquam in illa Provincia docuerunt, tantum unicum inveniunt virum, *Gellium Snecanum*, de quo dicunt. 1. *Eum ibidem ministerio verbi fungentem publicè editis libris sententiam Remonstrantium docuisse, ac propugnasse.* At sciendum est cum

tracta-

tractatum de Prædestinatione scriberet, non amplius functum fuisse ministerio, sed propter senectutē rude donatum. Scripsit etiam hosce libros circa annum 1592. ita ut ex illis nulla doctrinæ Antiquitas probari queat. Notum quoque est *Arminium* eo tempore familiariter cum ipso per literas communicasse, suntque non contemnendæ rationes quibus suspicari liceat, illum simplicitate hujus senis fuisse abusum, ut hac ratione per ipsum novam hanc doctrinam in lucem protraheret, quod ipse tunc nondum præstare audebat. Libros hosce Gellius etiam in Frisia non curavit excudi, neque apud Typographum cuius nomen sit notum, sed titulo inscriptum fuit eos juxta Harlemum esse excusos, & Typographo asscriptum est nomen fictitium. Sunt qui se scire arbitrentur per causas non leves, libros hosce opera Arminij clandestinè Amstelodami, aut in vicinia, esse impressos. Gellius admonitus atque reprehensus ob editos hosce libros, nunquam agnoscere voluit sententiam Remonstrantium illis libris doceri, sed semper hoc tueri voluit, doctrinam hanc suam in ipsa substantia cum Calvini & Bezæ sententia consentire, uti quoque clarè apparet ex præfatione ipsius hisce tractatibus præfixæ, in qua rotundè profitetur se doctrinam nostram planè approbare, tametsi in ipso tractatu à suis ipsius verbis & declarationibus dissentiat. 2. Quod Remonstrantes de ipso addunt, *Eum propterea ab Ecclesiis Reformatis non fuisse condemnatum*, non est omninò verum. Quamvis enim contra ipsius personam, quod sciamus, nulla censura Ecclesiastica fuerit adhibita, quoniam in extremo senio, extra ministerium, versabatur, ac quod ad cætera piæ probatæque esset conversationis, magisque ex animi simplicitate, quam perversitate erraret, tamen sententia ipsius tum ab Academia Franekerana, tum etiam ab Ecclesiis Frisicis publicè fuit rejecta & condemnata. Quod præterea dicunt *illum dicere solitum in initio Reformationis in illis oris habitos fuisse pro novitatum doctoribus, qui sententiam, quam nunc Contra-Remonstrantes docent, tuebantur*: non liquet aut illum ista dixisse, aut si fortè dixerit, illud verum esse: quandoquidem in Frisia multi adhuc sunt senes Ministri, qui cum primis & antiquissimis Ecclesiarum Frisicarum Reformatoribus conversati fuerunt, qui ea de re nihil intellexerunt, sed contra testantur sententiam nostram ab initio Reformationis ibidem semper & magno cum consensu doctam fuisse.

Nicolaus Hemmingius.

Hisce addunt, ut doctrinæ suæ antiquitatem astruant, *esse inter Remonstrantes, quibus Syntagma Nicolai Hemmingij Superintendentis in Dania Genevæ impressum, ibidem sit commendatum, ut diligenti studio illud perlegerent, atque ex illo ponerent prima studij Theologici fundamenta, in quo Syntagmate sententia Remonstrantium perspicuè traditur.* Nicolaus Hemmingius, qui in Dania non fuit Superintendens, sed prius Professor S. Theologiæ in Academia Hafnienſi, ac postea à Professione propter sanam de Cæna Domini doctrinam remotus, factus fuit Canonicus Roschildensis, erat discipulus Melanchthonis, ac proinde credibile est illum in doctrinæ fundamento cum ipso consensisse. Ac quamvis in dogmate de Vniversali gratia ab orthodoxia recedat, atque etiam à prima Reformatione ac Confessione Danicarum Ecclesiarum, quæ facta atque edita fuit anno 1530. ac postmodùm opera Ioannis Bugenhagij Pomerani anno 1537. perfecta est ac continuata, tamen Remonstrantes non possent clare demonstrare, illum in omnibus cum ipsis consentire. Nonnulli ejus tractatus Genevæ quidem excusi sunt, sed addita expressè censura atque animadversione super hoc dogmate. Quibusnam verò & à quibus ipsius scripta fuerint commendata, ut ex illis prima jacerent Theologici studij fundamenta, deberet prius diserte exprimi, antequam sciri posset, an ex eo aliquid concludi queat pro antiquitate doctrinæ ipsorum. Commendatur sæpius liber aliquis, in quo bona multa continentur, etiamsi eo non approbentur omnia isto libro contenta: quemadmodum certum est Genevenses doctrinam Hemmingij de Vniversali gratia nunquam approbasse. Plurimi etiam sunt alij, qui Genevæ operam dederunt S. Theologiæ, quibus liber iste eum in finem nunquam commendatus fuit. Adeò ut hoc sane admodum sit infirmum argumentum, quo demonstrari potest, non antiquitas doctrinæ Remonstrantium, sed defectus materiæ, quæ ipsis suppetat ad eam comprobandum, qui tam solicitè omnia etiam minutissima conquirant. Cum addunt, *Syntagma hoc ijsdem etiam ita allubuisse in illa materia, uti ab eo tempore hujus doctrinæ ita non potuerint omninò oblivisci, quin semper hæc cogitatio remanserit, eandem S. Scripturæ, simplicitati, atq; etiam ædificationi esse fortè convenientissimam.* Sciendum est eos, qui hanc cogitationem habuerunt, librum hunc non rectè ad normam S. Scripturæ examinasse. Hoc enim qui diligenter fecerit, ille cogitationem istam facilè deponet, deprehenderque errorem illum Hemmingij de Vniversali Gratia non

tantum

tantum planè absurdum, quippe qui cum ipsa pugnet experientia, sed etiam passim in Sacra Scriptura refutatum, ac proinde nec Sacræ Scripturæ, nec ædificationi congruentem. Præstasset hosce Remonstrantes hic nominatos fuisse, ut ita de tota hac re melius posset judicari. Si *Ioannes Utenbogardus* ex illis unus est, (dicitur enim illum de se tale quid narrare) & si hanc cogitationem habuit ab eo tempore, quo primùm Geneva redijt, quomodo potuit bona conscientia tot continuis annis sententiam nostram publicè docere, tueri & defendere: ac contra etiam Remonstrantium sententiam una cum alijs publicè condemnare, uti constat eum antehac fecisse? Ipse enim non ignorat quidquid dubitante fit conscientia, peccatum esse. Romanor. 14. 24. Quapropter probabile admodum est hac omnia tantum verba esse, quæ Remonstrantes undequaque convehunt, ut hac ratione Novitates suas aliquo saltem colore excusent.

An major pars membrorum Reformatarũ Ecclesiarũ Remonstrãtium doctrinæ sit addicta.

A Doctoribus Ecclesiarum Remonstrantes transeunt ad *privata Ecclesiæ membra*, de quibus satis jactanter & confidenter dicunt: *Si toti membrorum Reformatarum Ecclesiarum multitudini sententia tum Remonstrantium tum Contra-Remonstrantium nudè, uti revera se habet, coram* DEO *& Angelis ipsius, proponeretur, ut sine aliquo præpostero affectu aut præjudicio (quo multi miris artibus præoccupantur) rotundè singuli responderent, quam sententiam in animo suo & conscientia antiquissimam atque optimam arbitrentur, comperturos nos esse multo majorem partem declaraturam se stare in sententia Remonstrantium.* At verò hoc admodum confidentur atque etiam imprudentur asseritur, cum etiam ipsa experientia in omnibus locis, in quibus Remonstrantes doctrinam suam conati sunt plantare, tam manifestè atque evidenter contrarium doceat: etiam in illis locis, ubi Remonstrantes autoritate Magistratuum obtinuerunt, ut nobis non liceat sententiam nostram in publicis templis proponere, in quibus illi cathedras soli occupant, nihilque aliud faciunt, quàm quod sententiam suam quotidie Ecclesijs inculcent, nostramque acerbissimè atque odiosissimè refutent & traducant. Sed inquiunt, *sententia Contra-Remonstrantium deberet nudè proponi, uti se revera habet, coram* DEO *ejusque Angelis, ita deprehenderemus majorem multitudinem declaraturam, se stare in sententia Remonstrantium.* Idipsum à nobis quotidie fit singulis occasionibus. Non reticemus neque occultamus sententiam nostram coram populo, sed eam

nudè proponimus, uti se revera habet, tametsi in modo proponendi debitam prudentiam & sobrietatem ad ædificationem adhibeamus, uti Spiritus sanctus nobis præscribit, omnesque orthodoxi doctores semper facere solent. Quando verò agnoscere nolumus consequentias illas pravas, infirmas, ac calumniosas, quas Remonstrantes quotidie sine ullo fundamento ex doctrina nostra deducunt, nobisque ut doctrinam nostram injuste impingunt, esse sententiam nostram, eo ipso non quærimus sententiam nostram occultare, sicuti quotidie traducimur. Satis enim rotundè declaramus in concionibus & scriptis nostris, quænam sit nostra sententia & doctrina, adeò ut magnam nobis faciant injuriam, atque Ecclesias turpiter decipiant, qui criminantur nos secus facere. Cæterùm quid hic opus erit multis verbis? An non Remonstrantes jam aliquot annis omnem dederunt operam, ut doctrinam nostram, tum concionibus, tum scriptis suis, coram populo quam odiosissime & fœdissimè proponant ac traducant, maximè abominandis & blasphemis consequentijs omnibus eam gravantes, quascunque excogitare potuerunt: ut ea ratione in animis membrorum Ecclesiæ odium atque abominationem nostri, nostræque doctrinæ, excitarent, atque hisce artibus in partes suas populum pertraherent? An non ipsi Leydenses Remonstrantes in scripto suo, cui *Monster* nomen fecerunt, declarant, *se Pupam hanc* (ita blasphemè vocant orthodoxam de Prædestinatione doctrinam nostram) *planè nudam proposituros, denudatam omnibus pannis & cataplasmatis ut probè conspici, & rectè agnosci possit?* Sed quid eo obtinuerunt? An propterea major multitudo populi declaravit se Remonstrantium sententiam approbare? Contrarium conspicitur in omnibus locis & Ecclesijs per universam hanc regionem, non tantum in illis locis, ubi nostra solum sententia hactenus publicè docta fuit, sed etiam ubi Remonstrantes quotidie docent, atque etiam ubi soli Cathedras occuparunt, & coactiva Magistratuum potestate Ecclesias in ipsorum sententiam conantur perducere. Si quis hisce fidem adhibere noluerit, non est quod aliud faciat, quam ut abeat *Alcmariam, Hornam, Roterodamum, Hagam*, atque alios ad locos, ubi Remonstrantes soli publicè obtinent: deprehendet enim reipsa, quam pauca Ecclesiæ Reformatæ membra ibi declarent se stare á partibus Remonstrantium. Etiam in ipsa urbe *Leydensi*, ubi ipse *Arminius* docuit, ubi etiam præcipui ac plurimi libri, & calum-

nijs

nijs maximè referti contra sententiam nostram sunt conscripti, ubi etiam Pastores Remonstrantes sententiam nostram tam fœdè, calumniosè, atque odiosè, quam fieri unquam posset, quotidie coram populo depingunt ac traducunt, reipsa deprehenditur, tam in auditu Verbi, quam in cõmunione Cænæ Dominicæ, loco decem membrorum Ecclesiæ illius, quæ se declarant in nostra stare sententia, vix unũ inveniri, qui sequatur sententiam Remonstrantium. Hoc ipsum cum Remonstrantibus tam sit cognitum quam nobis (uti quoque haud parum illos hoc urit, & cruciat) mirandum est ista adhuc audere asserere contra tam manifestam experientiam. *Arminius* idem semper solet in ore habere, antequam se plenè manifestasset, si quando doctrinam suam de Prædestinatione, & simul etiam nostram, suis utramque coloribus esset populo propositurus, certum se esse ex decem Ecclesię membris vix unum futurum, qui sententiæ nostræ esset adhæsurus Postea hoc tam per ipsum quam per ipsius discipulos factum fuit, sed fuisse hanc spem inanem, atque in illa persuasione turpiter ipsum fuisse deceptum, experientia ipsa, quæ stultorum magistra esse solet, postmodum clarissimè docuit. Huic saltem experientiæ fides adhibeatur, neque tam evidenti argumento contradicatur. *Sed* (regerunt Remonstrantes) *multa membra Ecclesia per miras artes præjudicijs præoccupata sunt.* Nos nobis de nullis artibus, aut perversis medijs, sumus conscij, quibus unquam usi fuerimus ad excitandum in animis Ecclesiæ membrorum præjudicium perversum. Proponimus membris illis nudam veritatem simpliciter, ostendimusque ijs loca S. Scripturæ, quibus illa confirmetur, atque admonemus, ut diligenter Sacram Scripturam scrutentur, atque ipsi judicent, an non doctrina hæc, quam hactenus illis proposuimus veritati Sacræ Scripturæ sit consentanea. Si dicendum erit de artibus, quibus hominum animi perversè præoccupantur, possemus tam multas, tamque iniquas, à Remonstrantibus ad causſæ suæ malæ defensionem adhibitas, recensere, ut earum descriptionibus integri libri compleri possent, si foret operæ pretium. Inter artes verò, quas eum in finem dicunt nos adhibere, unam exprimunt Remonstrantes, scilicet, *nos hominibus falsam hanc imprimere opinionem, Remonstrantes docere idipsum, quòd nos docemus, multosque esse qui ex illa opinione Remonstrantes deserant.* Vtrumque satis quidem confidenter dicitur, sed arbitramur, si res probanda foret, neutrum ab illis posse probari.

Produ-

Producantur exempla, si quæ habent. Nos certi sumus inter omnes Ministros nostræ sententiæ, ne unum quidem nominari posse, qui aut ipse hoc fecerit, aut alijs autor fuerit, ut hoc facerent. Quid alicubi simplicior quædam muliercula aut imperitior aliquis dixerit, tam parum nobis poterit præjudicare, quam Remonstrantibus. Interrogentur etiam illi qui Remonstrantes deseruerunt, quæ caussa sit, cur hoc fecerint, certi sumus ex multis millibus ne unum quidem hanc caussam esse allegaturum, quod Remonstrantes deseruerit, quia aut existimet, aut quia ipsi sit persuasum, illos docere ista, quæ nos sentimus. Querelę quæ nobis quotidie ab illis fiunt de calumnijs & criminationibus, quæ Remonstrantes eorumque sectatores quotidie adversus doctrinam nostram evomunt, satis superque contrarium docent. Ex hisce itaque manifestè patet Remonstrantes frustrà provocare ad privata Ecclesiarum Reformatarum membra, quæ tanto numero, tam ingenti zelo, & tam unanimi cõsensu in omnibus hisce Reformatis Ecclesijs persistunt in recepta harum Ecclesiarum doctrina, atque in nostra sententia, & contra novam hanc Remonstrantium sententiam rejiciunt. Adeò ut mirari vehementer liceat, Remonstrantes, qui hæc probè sciunt & quotidie vident nihilominus doctrinam hanc suam invitis Ecclesijs quasi violenter obtrudere atque in Ecclesias introducere conari. Magistratus etiam quosdam apud nos operam suam in eo Remonstrantibus commodare; cum quotidie tam manifestè deprehendant, Ecclesias omnes ab hac nova doctrina ita abhorrere, in recepta doctrina tam constantes persistere, atque introductione doctrinæ Remonstrantium, ac Ministrorum illi addictorum, passim Ecclesias, quæ antehac pacatæ ac bene constitutæ erant, tam misere turbari, scindi, atque in infinitas conjici difficultates.

Tria Remonstrãtes sibi persuaserant de membris Ecclesiarũ. in quibus omnibus fallũ fuerũt.

De privatis Ecclesiarum Membris Remonstrantes Tria sibi persuaserant, in quibus singulis fuerunt decepti. *Primum* est, cum decretum illis esset, mutationem in recepta harum Ecclesiarũ, doctrina instituere, ut caute Ecclesiarũ membra in partes suas pertraheret, consultum ipsis videbatur, hanc mutationẽ inchoare à doctrina de Prædestinatione cum annexis ei capitibus, sperantes se hac ratione (quia sententia ipsorum in isto dogmate cum intellectu humano videtur magis congruere, & apud populum esse plausibilior) omnes membrorum Ecclesiæ animos ad partes suas pertracturos esse, atque ita postea eos tanto melius esse præparaturos ad reliquos articulos recipiendos. Hæc opinio eorum multùm eos fefelllit. Deprehenderunt enim membra illa vulgaria meliùs in S. Scriptu-

S. Scriptura exercitata, & firmius in recepta atque Orthodoxa de Prædestinationedoctrina radicata, quam ipsi existimassent. Didicerant enim ex S. Scriptura in rebus Fidei non debere nos sequi corruptum intellectus nostri judicium, sed illud Verbo DEI semper esse subjiciendum; in quo tam clara pro orthodoxa & recepta doctrina testimonia inveniebant, ut nullas viderent rationes, ob quas eam deserere deberent. Neque etiam Doctrina Remonstrantium de hisce articulis rectè considerata tam est plausibilis populo Christiano, sicuti Remonstrantes sibi persuadent. Inter Christianos enim, qui aliquantulum in verbo DEI versati sunt, multò plausibilius est credere, Electionem divinam pendere à solo DEI beneplacito gratuito, quam eam pendere à fide, aut ab alio aliquo bono in hominibus præviso. Per mortem Christi impetratam esse remissionem peccatorum tantum pro fidelibus, quam ut illa quoque sit impetrata pro omnibus infidelibus in infidelitate sua manentibus atque morientibus. Conversionem hominis in ipso effici per solam DEI gratiam & Spiritus Sancti singularem & efficacem operationem: quam ut eadem quoq; ex parte pendeat à libero hominis arbitrio. Verè fideles hanc consolationem & certitudinem habere, Deum per gratiam suam ita eos esse conservaturum in fide, usque ad finem vitæ, ut eam nec totaliter nec finaliter amittant: quam ut fideles semper debeant esse incerti de perseverantia & salute sua.

Secundum est, quod Remonstrantes existimaverint se populum & membra Ecclesiarum à nobis aversuros, atque ad suas partes pertracturos esse, si doctrinam nostram odiosè proponerent, traducerent, atque horrendis consequentijs & calumniis gravarent. Quem in finem non destiterunt usque in hunc diem concionibus, scriptis, libellis famosis, alijsque mediis, quam vehementissimè atque acerbissimè invehi in doctrinam nostram, criminantes illam esse horrendam, abominandam, blasphemam, Stoicam, Manichæam, & Turcicam doctrinam: affingentes nobis, nos docere ista, quæ ipsi nos quam maximè abominamur & quotidie refutamus, scilicet, Deum esse authorem peccati; Deum hominem necessitate quadam cogere ad peccandum: perinde esse sive quis bene aut male vivat, modo ad salutem sit prædestinatus: Fideles nullis possibilibus peccatis fidem posse amittere, ac propterea liberè posse peccare, atq; hujusmodi alia multa: quibus mediis sperarunt se adversus nos ita irritaturos Ecclesias omnes, ut nos non tantum essent deserturæ, sed etiam tanquam profanos atque abominandos

hæreticos ex hisce regionibus ejecturæ. Sed & hæc spes illos fefellit. Ecclesiæ enim nostræ, quæ Reformatorum Ministrorum conciones tot annos frequentaverant, ipsorum scripta diligenter legerant, atque ex ijs abundè intellexerant, ac certo persuasæ erant, talia errorum portenta non tantum ab illis nunquā fuisse tradita, sed semper rejecta ac refutata, non ignaræ etiam hasce calumnias ex libris hostium Reformatæ Religionis esse desumptas, qui orthodoxos earundem doctores olim etiam ijsdem calumnijs injustè gravare solent, ex istiusmodi calumniosis concionibus & scriptis collegerunt, quo spiritu Remonstrantes ducerentur. Ac propterea audientes illos adversus Collegas suos, quos insontes noverant, istas calumnias, è cathedra veritatis, tanta cum acerbitate, atque intemperie animi, evomere, non potuerunt sine animorum perturbatione atque offensione tales conciones diutius audire, neque Remonstrantes cum hostibus Ecclesiarum Reformatarum adversus doctrinam Reformatam ejusque doctores tam aperte conspirantes, pro genuinis, & sinceris Doctoribus Reformatis agnoscere. Atque ita paulatim ab ijsdem tanquam à manifestis calumniatoribus magis magisque secessionem fecerunt. Adeò ut Remonstrantes eodem hoc medio, quo putaverant se Ecclesias omnes à nobis abalienaturos, easdem ex templis ipsorum abegerint, atque ab ipsis magis magisque alienas reddiderint.

Tertium est, quod sibi persuaserant, si modò Magistratus in oppidis & pagis, in partes suas pertrahere possent, Ecclesias postea satis esse secuturas, atque etiam quidam confidenter satis dicebant, illas cogendas esse ut sequantur. Ac proinde existimarunt modò favore Magistratuum publica Ministeria occupare possent, illos paulatim populum & Ecclesias esse lucrifacturos. Hunc in finem miris usi fuerunt artibus, ut Magistratuum favorem captarent, nosque apud ipsos suspectos atque odiosos redderent. Conscripserunt integros libros, ut Magistratibus palpum obtruderent, eorumque authoritatem in eminentissimum gradum longè altius extulerunt, quam pij Magistratus postulant, aut sibi competere arbitrantur, immò altius quam summi inter Christianos Magistratus sibi unquam arrogarunt. Conati quoque fuerunt non tantum quotidianis obtrectationibus, sed etiam publicis scriptis, & concionibus tribunitiis Magistratus adversus nos incitare, ijsdé persuadentes, ac per calumniam nos ipsos apud accusantes (uti quoq; in Remonstrantia hac faciunt)

nos

nos debitam ac legitimam Magistratus Autoritatem in rebus Ecclesiasticis, aliisque diminuere, immò penitus opprimere. Hoc quidem illis aliquo modo fœliciter successit, ita ut hac ratione nonnullos Magistratus nimis credulos in partes suas pertraxerint: sed in cæteris iterum decepti fuerunt. Ecclesiæ enim nostræ non constant ex talibus hominibus, quales alibi nonnunquam reperiuntur, qui ad nutum Principis Religionem suam facile permutent: sed ex hominibus, qui in negotiis Religionis egregiè sunt versati, qui eam seriò amplectuntur, qui in doctrina probè sunt exercitati & radicati, qui veritatem magno cum zelo diligunt, & quorum plerique patriam & bona sua veritatis & Religionis caussa relinquerunt, qui potius bona omnia, immò & vitam ipsam sibi eripi paterentur, quam Religionem illam, quam ipsi veram agnoscunt, quam bona cum conscientia amplexi, ac multos jam annos professi fuerunt. Quare si impediantur eandem in publicis Templis exercere, cogentur sibi de cultu prospicere, prout commodissimè poterunt, in separatis congregationibus, aut concedent in ea loca, in quibus ipsis publico exercitio frui licebit: quemadmodum via demus hic plurimis in locis experientiam ipsam abundè comprobare. Est quidem illud verissimum nullam sub Sole nationem reperiri, quæ Magistratum suum magis revereatur, majori promptitudine & sinceriori animi affectu obedientiam illi præstet, omniaque onera ad Republicæ sustentationem necessaria libentius ferat, quam natio Belgarum: cæterùm ut in gratiam Magistratus Religionem suam, quam veram esse sciunt, commutare velint, nunquam ab illis erit expectandum; uti historiæ præcedentium temporum abundè docent. Fieri quidem potest, ut pauci quidam, qui caussam Religionis aut non rectè intelligunt, aut parùm curant, qui à Magistratibus dependent, aut illorum favore promotiones captant, aut præiudiciis præoccupatos habent animos, Magistratum aliquando sequantur, sed tale quid à toto Ecclesiarum corpore si quis expectet, inani opinione seipsum fallet. Remonstrantes Magistratuum favore externa quidem Templa occupare poterunt, sed nequaquam Ecclesias, quæ non consistunt in parietibus, sed in hominibus fidelibus. Ex quibus omnibus clare conspici potest, Remonstrantes frustra provocare ad multitudinem membrorum Ecclesiæ, & eorumdem sequelam stultè expectasse.

Qualia exempla Remonstrantes hic produxerint.

Atque hæc breviter responsa sint ad argumentum Remonstrantium desumptum ab exemplis quorundam Doctorum & membrorum Ecclesiarum Reformatarum tam exterarum quam Belgicarum. Ex quibus perspicuè licet videre, omnia hæc exempla frustra ab illis esse producta ad Antiquitatem doctrinæ suæ in Ecclesijs Reformatis comprobandam: quandoquidem hinc manifestè constat ex hisce, quos produxerunt, doctoribus multos sententiæ Remonstrantium non fuisse addictos, sed in nostra stetisse sententia: alios non in doctrinæ substantia aut fundamento à nobis dissentire, sed tantum videri dissentire, quia eam alio modo proponunt: nonnullos quidem in Remonstrantium fuisse sententia, sed fuisse illos aut Lutheranos, qui à Lutheri doctrina ea in parte defecerunt, quorum sententia nobis hic non poterit magis præjudicare, quam in articulis de Cœna & de Persona Christi: aut quando hanc doctrinam inter nos docuerunt, fuisse propterea ab Ecclesijs censura notatos. Adeò ut contrarium hinc probari possit, scilicet sententiam illam ab Ecclesijs Reformatis nunquam fuisse receptam, sed semper rejectam ac condemnatam, ac propterea *Novam* esse in illis Ecclesijs. Si Remonstrantes hic quidquam velint negare, parati sumus omnia hac evidentibus documentis singulatim plenius confirmare.

Mirandum sanè haud parum est, Remonstrantes ex tam infinita multitudine tot præstantium Ecclesiarum Reformatarum Doctorum, qui ubique per totum Christianum orbem, postremo hoc seculo, ab initio Reformationis, vixerunt & docuerunt, tam paucos, & plerosque etiam tam vulgares homines tantum potuisse producere: quod ipsum quoque argumento non levi esse potest, quo probetur eos toto hoc seculo haud multos habuisse sententiæ suæ sectatores in Ecclesijs Reformatis. Quod si nos contra hic Catalogum vellemus texere omnium doctissimorum & præstantissimorum Doctorum, qui passim in toto Christiano orbe sententiæ nostræ fuerunt addicti, eandemque magna cum ædificatione, & unanimi cum assensu Ecclesiarum Reformatarum, sine ulla earundem censura, concionibus & scriptis tradiderunt ac propugnarunt, solis illorum nominibus integrum posse-mus complere librum. Ex multis paucos quosdam Remonstrantibus opponemus, qui illis, quos Remonstrantes produxerunt, nec in doctrina, nec in pietate, nec in celebritate, nec in antiquitate cedunt. Notissimum est apud omnes, sententiam nostram publicè doctam ac defensam fuisse in *Saxonia*, in Academijs *Witebergensi*

Reformati Doctores, qui sententiæ Contra-Remonstrantium fuerũt addicti.

In Saxonia.

bergensi & Lipsiensi, ubi Reformatio initium suum habuit, ab ipso *Luthero*, qui primus fuit Ecclesiarum Reformator seu repurgator à Pontificijs erroribus; inter quos hæc Remonstrantium dogmata non ultimo loco ab ipso fuisse habita, ex scriptis ipsius contra *Erasmum* videre licet. Sicut etiam deinceps multis annis docta fuit ab ipsius discipulis, inter quos etiam *Melanchthonem* meritò collocamus, atque adeò omnes illos qui ejus rationem docendi fuerunt secuti, uti supra probavimus. In *Helvetia* sententiam nostram docuerunt Academiæ *Basileensis*, *Tigurina*, & *Lausannensis*; Item *Zuinglius*, *Oecolampadius*, *Pellicanus*, *Leo Iudæ*, *Bullingerus*, *Martyr*, *Gualterus*, *Aretius*, *Lavaterus*, *Vadianus*, *Myconius*, *Borrhaus*, *Simlerus*, *Grynæus*, *Hospinianus*, *Wolphius*, *Bucanus*, *Stuckius*, *Polanus*, *Beumlerus*, aliique. In *Argentinensi*, *Augustana*, *Nurenburgensi*, aliisque *Germaniæ* civitatibus, *Bucerus*, *Capito*, *Hedio*, *Calvinus*, *Martyr*, *Zanchius*, *Musculus*, *Sturmius*, *Hessiander*, *&c.* In Electorali *Palatinatu*, in Academia *Heydelbergensi*, *Klebitius*, *Boquinus*, *Zanchius*, *Tremellius*, *Ursinus*, *Olevianus*, *Iunius*, *Sohnius*, *Tossanus*, *Kimedoncius*, *Paræus*, *Reuterus*, *&c.* In Landgraviatu *Hassiæ*, in Academia *Marpurgensi*, *Lambertus Avenionensis*, *Gerardus Noviomagus*, *Andreas Hyperius*, *Sohnius*, *Eglinus*, *Schonfeldius*, &c. In Comitatu *Nassoviæ* in illustri Schola *Herbornensi*, *Olevianus*, *Piscator*, *Nahumius*, *Zepperus*, *Pincierius*, *Martinius*, &c. In Reformatis diœceleos *Bremanæ* Ecclesijs, *Henricus Zutphaniensis*, *Pezelius*, *Pierius*, *Lampadius*, *Martinius*, *&c.* In Ecclesijs *Oost-Frisiæ*, *Aportanus*, *Resius*, *Rodius*, *Menso Altingius*, *Petrejus*, *Eilssemius*, *&c.* In Reformatis *Galliæ* Ecclesijs, *Academiæ Genevensis*, *Nemausensis*, *Montaubanensis*, *Salmurienses*, *& Sedanenses*, *Farellus*, *Viretus*, *Calvinus*, *Beza*, *Goulartius*, *Fayus*, *Gallasius*, *Marloratus*, *Sadeel*, *Spinæus*, *Plessæus*, *Chamierius*, *Molinæus*, *Tilenus*, *Gomarus*, *&c.* In Magna *Britannia*, utraque *Angliæ* Academia *Oxoniensis* & *Catabrigiensis*, atque ibidem *Bucerus*, *Martyr*, *Fagius*, *Crammerus*, *Ridlæus*, *Latimerus*, *Ponetus*, *Philpotus*, *Bradfordus*, *Foxus*, *Parkustus*, *Iuvellus*, *Withakerus*, *Witgiftus*, *Matthæus Ebaracensis*, *Rainoldus*, *Perkinsius*, *Fennerus*, *Mortonus*, *Chaderthonus*, *Willetus*, *Estæus*, *Somus*, *Abbotus*, *&c.* In Academijs *Scotiæ*, *Edinburgensi* & *Sanctandreana*, atque ibidem *Alexander Alesius*, *Cnoxus*, *Goodmannus*, *Rollocus*, *Melvinus*.

In Helvetia.

In præcipuis Germaniæ civitatibus.

In Palatinatu.

In Hassia.

In Nassovia.

Bremæ, & in Oost-Frisia.

In Gallia.

In Magna Britannia.

In Anglia.

In Scotia.

vinus. Hisce addi possunt omnes Reformati doctores ex *Italia*, *Hispania*, *Hungaria*, & *Polonia*, qui in sententia nostra fuerùt, quales inter alios fuerunt *Martyr*, *Zanchius*, *Tremellius*, *Hyeronimus Marius*, *Martinengus*, *Scipio Lentulus*, *Deodatus*, *Franciscus Dryander*, *Perezius*, *Cyprianus de Valera*, *Zegedinus*, *Trecius*, & qui nomine fratrum Hungaricorum ediderunt librum, cui titulus *Panharmonia Calvini cum Veritate*, in quo demonstrant doctrinam Calvini in omnibus, etiam in hisce articulis, consentire cum veritate: *Zarnovicius*, *Velanus*, &c. Si velimus ulterius progredi ad Reformatos harum Ecclesiarum Belgicarum doctores, constat manifestè in Academijs *Leydensi* & *Franekerana* sententiam nostram semper fuisse doctam, omnesque Ecclesiarum nostrarum præcipuos doctores eidem semper fuisse addictos, publicè etiam semper docuisse & propugnasse: quales fuerunt, *Gerardus Noviomagus*, *Andreas Hyperius*, *Guido Bressius*, *Peregrinus Grangæus*, *Carolus Niellius*, *Martinus Micronius*, *Villerius*, *Figureus*, *Bollius*, *Taffinus*, *Aldegondius*, *Danæus*, *Sturmius*, *Saravia*, *Carolus Gallus*, *Kimedoncius*, *Bastingius*, *Franciscus Iunius*, *Trelcatius Pater*, & *Filius*, *Sibrandus Lubbertus*, *Martinus Lydius*, *Henricus Antonides*, *Ioannes Kuchlinus*, *Arnoldus Cornelij*, *Helmichius*, *Donteclockius*, *Casparus Grevinchovius*, atque innumeri alij, qui ab initio Reformationis in hunc usque diem, in omnibus harum Regionum Reformatis Ecclesijs, sententiam nostram magno cum consensu atque ædificatione non tantum docuerunt, sed etiam adversus *Pontificios*, *Anabaptistas*, *Samosatenianos*, *Libertinos*, & novos hosce *Lutheranos*, qui omnes sequuntur sententiam Remonstrantium, defenderunt ac propugnarunt, ut ex ipsorum scriptis demonstrari potest. Quare ex hisce liquidò constat, Antiquitatem doctrinæ de hisce articulis respectu Reformationis, & consensus omnium Reformatarum Ecclesiarum, Academiarum, & Doctorum Reformatorum, manifestè à nostris partibus stare.

Antiquitatem doctrinæ Remonstrantium non posse probari ex formulis consensus.

Post exempla Doctorum & Membrorum harum Ecclesiarum, Remonstrantes tandem accedunt ad *Formulas Consensus in doctrina*, quæ in hisce Ecclesijs sunt usitatæ, scilicet *Confessionem* & *Cathechismum*, ut videant an ijs doctrinæ suæ Antiquitatem comprobare queant. Hinc erat Remonstrantibus primò auspicandum. Nam quando inter Ministros unius ejusdemque Ecclesiæ Reformatæ controversia in negotio Doctrinæ exorta est, atque inter ipsos controvertitur, utra pars à recepta doctrina defecerit, aut (quod

idem

idem est) Novitatates in illas Ecclesias introducat (quemadmodum se nunc res habet inter nos & Remonstrantes) nulla est commodior aut compendiosior via hanc controversiam rectè dijudicandi, quam ut doctrina utriusque partis cum hisce Formulis consensus conferatur. Eum enim in finem istæ quoque Formulæ præcipuè concipiuntur, atq; in Ecclesijs habentur, ut ex ijsdem de Consensu vel Dissensu Ministrorum in recepta doctrina judicari queat. Quare omnia hæc superius adducta Remonstrantium argumenta non fuissent hic necessaria. Vnicum hoc sufficit, ut inquiramus an ipsorum doctrina hisce Formulis sit consentanea, nec ne. Si Remonstrantes probare poterunt doctrinam ipsorum cum hisce Formulis consentire, libenter agnoscemus eam esse antiquam & receptam harum Reformatarum Ecclesiarum doctrinam. Sin minus, illi vicissi agnoscere debent, doctrinam ipsorum meritò Novam appellari posse. Hic itaque pedem figamus, ac dispiciamus quænam argumenta Remonstrantes ex hisce scriptis producant, ut doctrinam suam à novitate excusent,

Quid de hisce Formulis sit sentiendum.

De hisce scriptis primo in genere dicunt, *olim ista non fuisse habita pro Regula Veritatis, sed tantum pro Formulis consensus.* At quorsum ista dicuntur? An quisquam est inter Reformatos Doctores, qui de eo ambigit? An forte Remonstrantes eo tacitè nos perstringere volunt, quasi nos hæc scripta pro Regulis Veritatis habeamus, qui agnoscimus Sacram Scripturam solam & perfectissimam Veritatis esse regulam? Hæc videtur fuisse illorum intentio, uti postea quoque idipsum, tanquam Novitatem nobis affingunt, ubi nos etiam ostendemus, quanta nobis hac in re fiat injuria, Verùm tametsi istas Formulas tantum habeamus pro Regulis Consensus in doctrina, credimus tamen eam doctrinam, quæ istis Formulis continetur ac declaratur, veritati Sacræ Scripturæ in omnibus esse consentaneam. Si Remonstrantes aliter sentiunt, fateantur primo ipsos nobiscum in doctrina recepta consensum non colere, & tum parati erimus doctrinæ huius veritatem ad solum Verbi divini lydium lapidem explorare: prospectum nobis est sufficientissime de argumentis, quibus consensus huius doctrinæ cum veritate Sacræ Scripturæ evidentissimè probetur. Agnoscimus etiam, si quisquam forte existimet se in hisce scriptis falsitatem aut errorem alioquem demonstrare posse, *Scripta hæc semper debere ad verbum* DEI *examinari*. De eo inter nos & Remonstrantes nulla est controversia, tametsi nobis libenter affingerent, nos hæc scripta im

scripta in eodem gradu collocare cum DEI verbo, quod solum, utpote à Deo inspiratum, nulli obnoxium esse potest errori. Si modo Synodus Nationalis haberi posset (quæ hactenus per Remonstrantium patronos impedita fuit) & Remonstrants argumenta sua & considerationes, quas dicunt se habere adversus hæc scripta ibidem proponerent, experirentur reipsa Ecclesias hasce non dicturas esse, scripta hæc non esse examinabilia, neque difficultatem ullam esse moturas, Scripta illa & quidquid Remonstrantes adversus illa producent, examinare ad amussim verbi Divini. Quotidie adversus hæc scripta multa quidem declamitant, quasi monstrosissimi errores istis continerentur, sed tantum ab illis hactenus obtineri non potuit, ut scire nobis liceat, quid Remonstrantes in ijs desiderent, aut quæ rationum pondera adversus illa producere possint. Hisce artibus conantur receptam doctrinam apud plebem reddere suspectam, atque interim impedire norunt, quo minus ordinarium medium adhiberi possit, quo ab illis suspicionibus vindicari queat.

An controversiæ Remonstrantium ex hisce formulis decidi possint.

Remonstrantes porrò *rotundis verbis dicunt controversias hodiernas ex neutro horum scriptorum decidi posse.* Si res se ita haberet, quod tamen verum non est, necesse esset hæc scripta magno laborare defectu præcipuorum quorundam Christianæ Reformatæ Religionis articulorum, ac proinde haud idonea forent, ut pro formulis consensus in ijsdem haberi possint: atque ita non posset ex ijs probrari, sententiam aut Remonstrantium, aut Contra-Remonstrantium ijs contineri. Acceptamus quod Remonstrantes hic rotundè confitentur ipsorū sententiam istis Formulis non contineri. Atque etiam ita se res habet. Vnde nos porrò contra ipsos irrefutabili argumento concludimus, ipsorum doctrinam esse Novam doctrinam in hisce Ecclesijs, quia in Formulis consensus harum Ecclesiarum non extat. Adeò ut hæc rotunda Remonstrantium confessio sola sufficiat, ad doctrinam illorum de novitate convincendam. Sed quod etiam existiment nostrā quoque sententiam in illis non cōtineri, plane à vero est alienum. In ijsdē enim perspicuè docetur de *Prædestinatione*: *Deum æterno & immutabili consilio quosdam, seu certum hominum numerum, elegisse in Christo Iesu Domino nostro, ex mera gratia, sine ullo respectu operum ipsorum, neque propterea quod isti meliores essent alijs.* Confess. Arti 16. & 37. *Filium Dei sibi Ecclesiam ad vitam æternam eligisse, quam postea per Spiritum & Verbum suum in unitatē veræ fidei colligit.* Catech. quæst. 54, De fructu mortis Christi: *Reprobos in interitu*

In illis sententiam Remonstrantium non doceri.

Sed sententiam Contra-Remonstrantium.

suo

suo relinqui. Confess. Art. 19. *Iram Dei atque æternam condemnationem infidelibus incumbere, quam diu sese non cõvertunt: Christum etiam Spiritu suo renovare omnes eos, quos sanguine suo mercatus est.* Catech. quæst. 84, 86. De libero hominis Arbitrio: *Voluntatem hominis regeniti tantum servam esse peccati: Hominem post lapsum in omnibus viis suis factum esse impium, perversum & corruptum: atque in ipso nec mentem nec voluntatem esse Dei intellectui & voluntati congruentem, quam Christus in homine non sit operatus: Repudiari debere quidquid contrà de libero Arbitrio docetur.* Confess. Art. 14. *Nos natura ita corruptos esse, ut planè non simus idonei ad ullum bonum, & proclives ad omne malum: immò natura nos esse propensos, ut Deum & proximum odio habeamus.* Catech. quæst. 5. 8. De Perseverantia verorum fidelium, & de certitudine Salutis: *Eos omnes, qui hunc Servatorem vera fide amplexi sunt, non deficere, neque ad dextram, neque ad sinistram: & quamvis magna adhuc in ipsis sit infirmitas, contra eam ipsos pugnare per Spiritum Sanctum omnibus vitæ diebus. Omnes illos, qui vitæ spiritualis participes sunt, esse electos.* Confess. Artic. 19. 35. *Christum Dominum nostrum omnes fideles, ne partam salutem amittant contra ipsorum hostes, tueri & conservare, & per Spiritum suum de vita æterna certos reddere.* Catech. quæst. 1. 31. 51. *Spiritum Sanctum apud eos, quibus datus est, & quos per verã fidẽ Christi omniumque ejus beneficiorum participes fecit, in æternum esse mansurũ. Eum qui vivum Ecclesiæ mẽbrum est, perpetuò membrum ejus mansurũ. Eum qui initia vitæ æternæ in corde suo persentiscit, post hanc vitã perfectã beatitudinẽ esse possessurũ.* Catech. quæst. 53. 54. 58. Ex quibus aliisq; diversis locis clarè perspici potest, sententiã nostrã de hisce controversis articulis in hisce Formulis perspicuè exprimi & cõtineri. Quinetiam responsio ad primã Catecheseos quæstionẽ, quæ quasi totius Catecheseos summa est, doctrinam nostrã Remonstrantiũ doctrinæ contrariam, hac in parte plenè cõplectitur. Vnde etiam porrò liquet, non esse verum quòd Remonstrantes adjungunt: *In Confessione nullum extare verbum, quod vel minimùm adversetur ipsorum sententiæ de morte Christi, de operatione Gratiæ, & de Perseverantia: nihil etiam quod Contra-Remonstrantium sententiam confirmet.* Loca enim superius adducta de utroque contrarium manifestè testantur. Adversus illa porrò excipiunt, & dicunt: *Terminos, qui ibi adhibentur, ejusmodi esse etiam in articulo Confessionis decimosexto, in quo agitur de Prædestinatione, ut tam Remonstrantium quam Contra-Remon-*

Confessionem sententiæ Contra-Remonstrantium non ad eriari, sed eam confirmare.

strantium sententia ijs comprehendi possit, præsertim uti extant in prioribus editionibus: in posterioribus enim magnam Articuli partem omissam esse. Terminos & verba quibus utimur ad animi sensa exprimenda, non posse, secundum mentem utentis, plures sensus habere, quam unum, omnibus est notissimum: alioquin enim ijsdem terminis utraque contradictionis pars simul exprimi posset, quod est impossibile. Verùm hoc sæpius contingit, vix posse adhiberi aliquos terminos ad sensum exprimendum, quamtumvis in se quam maximè sint dilucidi, quin illi, qui malignè agere volunt, semper illos possint in alienum sensum contra mentem ejus, qui terminis illis usus fuerit, detorquere: uti olim compertum fuit, orthodoxos doctores vix aliquos terminos potuisse adhibere ad exprimendam sententiam suam, qui non ab Arianis, Pelagianis, ac similibus Hæreticis in perversum sensum detorti sint, ut sub ijsdem suas hæreses occultarent. Impossibile itaque est secundum mentem eorum, qui Confessionem primùm conceperunt, & qui eam postea secuti sunt & receperunt, *tam Remonstrantium quam Contra-Remonstrantium sententiam comprehendi posse.* Cum enim in hisce sententijs aperta sit contradictio, impossibile erit eisdem terminis utramque exprimi posse: sed quando utraque pars eosdem terminos ad suam sententiam pertrahit, necesse est ut alterutra pars hosce terminos in sensum detorqueat alienum à mente eorum, qui hisce terminis primùm atq; antehac usi fuerunt. Acceptamus hic iterum quod Remonstrātes rotundè confitentur, *Sententiam nostram de Prædestinatione in decimosexto Confessionis Articulo comprehendi posse.* Sed negamus ipsorum sententiam ibidem quoq; comprehendi posse, sine manifesta terminorum seu verborū in alienum sensum detorsione, quæ pugnet cum usitata verborum significatione, ac cum mente eorum qui hęc scripta conceperunt ac receperunt. Ne quidem in illis terminis, *qui extant in primis editionibus.* Quamvis enim *in posterioribus editionibus pars aliqua Articuli sit omissa*, hoc non est factum, ut quidquā omitteretur, quod ad sententiam Remonstrantiū trahi posset: tam parum enim in prioribus, quam in posterioribus editionibus tale quid invenitur, sed tantum ubi Articuli Confessionis, quantum fieri potuit salva doctrinæ substantia, cōtraherentur, ac ne unum idemque in uno articulo tautologicè sæpius repetereretur. Verba quæ extant in prioribus editionibus, quæq; in posterioribus omittuntur, hæc sunt. *Interim Deus hominibus non facit injuriā: nam quod nonnullos salvos facit, non fit eo, quod alijs sint meliores, quandoquidem omnes in certi*

exitio

exitium erant præcipitati, donec Deus eos segregat, & liberat per æternum suum atque immutabile decretum, quod in Christo fundatum est, antequã mundus fuit conditus. Hoc sensu nemo à seipso ad hanc gloriam pervenire potest, quoniam à nobis ipsis non sumus idonei ad cogitandum aliquid boni, nisi Deus per gratiam & solam bonitatem suam antevertat: adeò corrupta est natura nostra. Omnes qui partiũ studio non abripiuntur, ex hisce verbis facilè intelligere possunt, tantum abesse ut Remonstrantium sententia, de Electione ex fide & perseverantia præviſa, sub illis verbis comprehendi possit, ut eidẽ etiam clarè contradicatur, & nostra sententia magis magisq; cõfirmetur. Nam si Deus in eligendo consideravit fidẽ & perseverantiam, ut antecedentes causſas vel cõditiones, quare hos præ alijs elegerit, ut Remõstrantes docent, sequitur Deum homines antequam eos elegit, consideraſſe ut *meliores alijs*, aut dicendũ ipsis erit fideles non esse meliores infidelibus. Hisce accedit ex multis argumentis constare tam eos, qui hanc Confessionẽ primùm conceperunt, quã eos qui eam primùm receperunt, nostræ sententiæ fuisse addictos, ac propterea cum illis terminis suam sententiam exprimere voluerunt, sequitur illos nostram quoque ijsdem expressisse. Inter primos Confessionis autores & receptores fuerunt *Guido Bressius, Godefridus Wingius, Georgius Wibotius, Christophorus Fabritius, Nicolaus Carenaus, Petrus Dathenus, Petrus Colonius, Casparus Heydanus, Valerandus Polanus, Ioannes Taffinus, Nicolaus Gallasius, Petrus Cognatus, Petrus Alexander, Petrus* Delenus, *Cornelius Coolthunius*, multiq, alij insignes nostrarũ Ecclesiarũ doctores & Refortores, qui omnes nostrã secuti fuerunt sententiam. Omnes doctores Academiæ Geneuensis, atq; inter illos *Calvinus* & *Beza*, hanc Cõfessionẽ ut suæ sententiæ, ac proinde etiam nostrę cõsentaneam, approbarunt, & per *Crispinũ* anno 1562. imprimi curarunt. Termini quibus doctrina de Prædestinatione exprimitur ferè de verbo ad verbum desumpti sunt ex Confessione Ecclesiarum Gallicarũ, quæ semper steterunt in nostra sentẽtia. Postea Confessio nostra resumpta fuit anno 1566. in Synodo Antwerpiensi cui D. *Aldegondius*, & D. *Iunius* interfuerunt, qui semper in nostra sententia fuerunt, uti scripta eorum testantur: & denuò recognita, confirmata, atque impressa, per Nobilitatem & Ecclesias harum Regionum oblata est Imperatori Maximiliano, cum Epistola, in qua sententia nostra de Prædestinutione dilucidè proponitur, & contra Pontificios defenditur. In Synodo Emdensi, Anno 1571. statutum fuit ut Ecclesiæ nostræ etiam subscriberent Confessioni

Ecclesiarum Gallicarum, in qua nostra sententia multò clarius exprimitur quam in nostra: & Gallicas Ecclesias etiam rogandas esse ut nostræ Confessioni in Consensus mutui testificationem subscriberent, quod etiam postea factum fuit.

Constat etiam primos doctores nostros publico nomine sententiam nostram adversus *Pontificios*, *Anabaptistas*, *Lutheranos*, aliosque erroneos spiritus, in diversis publicis Colloquijs & disputationibus propugnasse, uti Protocolla & Scripta, quæ extant, clarè testantur. Cum etiam manifestum sit, doctores harum Ecclesiarum, magno cum consensu, ab initio Reformationis, sententiam nostram publicè semper docuisse, sine ulla Ecclesiarum reprehensione, aut censura; ac contra omnes Doctores in hisce Ecclesijs, qui Remonstrantium sententiam in ijsdem docere tentarunt, hac de caussa à Synodis, tam Nationalibus quam Particularibus, atque etiam ab Academijs harum regionum semper reprehensos ac censura notatos fuisse, inde clarissimè liquet, & solidè probari potest, Reformatas hasce Ecclesias terminos suæ Confessionis intellexisse secundum sententiam nostram. Ac proinde Remonstrantes contra mentem & sententiam tam primorum Reformatorum, qui eam ediderunt, quam reliquarum Reformatarum Ecclesiarum, quæ eam receperunt, terminos hosce quasi vi in alienum sensum mala fide aperte detorquere, si suam sententiam illis comprehendere velint. Multi etiam inter Remonstrantes haud ignorant, cum olim starent in nostra sententia, ipsos tunc judicasse terminos Confessionis nostræ cum ipsorum sententia consentire, (uti quoque verum erat) qua conscientia illos nunc poterunt in contrarium sensum detorquere? Cæterùm ut hac de re illustrius testimonium haberi possit, non est expeditior neque compendiosior via, quam ut super hac re audiatur judicium Ecclesiarum Reformatarum harum regionum, in legitimâ Synodo Nationali congregatarum, ut ex illis ipsis cognoscatur, quomodo terminos suæ Confessionis intelligant. Alia enim via vix apparet, hanc item inter nos & Remonstrantes facile dirimi posse.

Confessiones omnes Ecclesiarum Reformatarum cum nostra Con-

Adversus hæc Remonstrantes porrò inferunt: *Si Contra-Remonstrantium sententia, uti nunc illa docetur, in illis definita esset, impossibile fore ut hæc Confessio cum Confessionibus aliarum Europæ Ecclesiarum, ac præsertim cum Augustana & Helvetica, cui se Genevensis Ecclesia adjunxit, veram posset servare Harmoniam, sed necessario sequi eam ab alijs Reformatis Ecclesijs in hac caussa*

cauſſa diſſentire. Hæc ſanè imprudenter admodum (ut ne dicamus impudenter) dicuntur. Contrarium enim omninò eſt verum: nimirum, ſi ſententia Remonſtrantium in noſtra Confeſſione contineretur, illam in hac cauſſa diſſenſuram ab omnibus Reformatis Europæ Eccleſijs: ac contra ſi noſtra ſententia in illa non eſſet definita, illam non poſſe veram cum ijſdem Eccleſijs Harmoniam ſervare. Nuper hoc à *D. Dammanno* in libello de Conſenſu Remonſtrantium cum Reformatis Eccleſijs perſpicuè fuit demonſtratum, cui Remonſtrantes nondum reſponderunt, uti neque cum veritate quidquam Reſpondere poterunt. Parati ſumus idipſum plenius demonſtrare ex Confeſſionibus duarum illarum illuſtrium publicarum Reformationum, quarum prima facta eſt anno 1162. à *Waldenſibus* in Gallia, & quæ per totam Europam diſperſa fuit, atque imprimis in *Gallia, Belgio, Anglia, Germania, Bohemia, Moravia*, aliſque in locis plurimis continuata. Altera, quæ facta eſt anno 1517. à *Luthero in Germania*, & *Zuinglio in Helvetia*, quæque inde per omina totius Chriſtiani orbis Regna & Regiones ſe diffudit. Ex confeſſione, ſcilicet, VValdenſium in regno *Bohemiæ* & *Maraviæ*, anno 1504. 1507. 1508. ad Regem *Ladiſlaum* in *Hungariam* miſsa. Item ex eorundem *Confeſſione recognita* anno 1532. rogatu Marchionis Brandeburgici, & *Tiguri* eodem anno excuſa, ac denuò cum honorifica *Lutheri* præfatione *Witebergæ* recuſa: Deniqué rogatu *Wolphangi Muſculi*, & fratrum *Auguſtanorum* recognita & aucta anno 1538. eodemque anno *Witebergæ* iterum impreſſa. Ex Confeſſione Baronum & Nobilitatis Regni *Bohemiæ* anno 1535. tradita *Ferdinando* Imperatori & Bohemiæ Regi, & recognita denuò, ac *Maximiliano* II. Imperatori, atque etiam Sigiſmundo Poloniæ Regi tradita anno 1564 ac demùm iterum recuſa, omnibuſque Eccleſijs Chriſtianis & pijs fratribus propoſita anno 1612. uti deniqué ex *Confeſſione* VValdenſium *Merindolianorum & Caprarienſium* in Gallia, anno 1542. ad Regem *Franciſcum* I. tranſmiſſa. Item ex Articulis *Conſenſus Marpurgenſis* inter *Lutherum* & *Zuinglium*, eoſque qui utrique aſſiſtebant, conceptis anno 1529. Ex *Confeſſione* Fidei Martini *Lutheri* comprehenſa articulis ſeptendecim, conceptis ad præparationem Confeſſionis Auguſtanæ. Ex prima originali *Confeſſione Auguſtana Carolo* V. Imperatori in Comitijs Imperialibus Auguſtæ anno 1530. tradita, ac poſtea anno 1540. & 1545. à Melanchthone recognita. Ex *Confeſſione* primorum Reformatorum

confeſſione & ſententia conſentire.

Confeſſiones primæ Reformationis.

Confeſſiones ſecundæ Reformationis.

torum Ecclesiarum *Emdensis & Oost-Frisicarum*, anno 1528. & 1530. Et ex *Confessione earundem* Ecclesiarum ab ijsdem Ecclesijs denuò edita anno 1594. Ex *Confessione quatuor Civitatum*, Argentinæ, Constantiæ, Memmingæ, & Lindaviæ, in comitijs Augustanis Imperatori tradita anno 1530. & ex ejusdem Apologia, quemadmodú etiam ex particulari *Confessione Argentinensi* de articulo Prædestinationis adversus Anabaptistam *Melchiorem Hofmannum* conscripta, anno 1532. & ex *Summa Christiana doctrinæ* & Religionis, quæ per continuos viginti octo annos in Ecclesia Argentinensi tradita fuit, edita anno 1548. *per Bucerum*. Ex *Confessione Huldrici Zuingly*, nomine Ecclesiarum Helveticarum Imperatori & Proceribus Imperij in Comitijs Augustanis, anno 1530. transmissa, & per Philippum Hassiæ Landtgravium Principibus & Ordinibus Germaniæ communicata. Ex *Confessione Basileensi* anno 1532. edita, atque ab Ecclesia Mulhusiana anno 1561. pro sua quoq; agnita. Ex *prima* communi *Helvetica Confessione* Basileæ conscripta, anno 1536. quæ anno 1537. per Bucerum & Capitonem ad Doctores Ecclesiæ VVitebergensis missa fuit, & porrò omnibus Protestantibus Ordinibus tradita, ab ijsdemque recepta in conventu *Smalcaldico*. Ex *secunda* communi *Confessione Helvetica*, conscripta atque edita anno 1566. quæ etiam recepta fuit à Rhetis, atque ab Ecclesijs Mulhusiana, Bienensi, & Genevensi, uti quoque ab Ecclesijs Anglicis, Scoticis, Gallicis, Belgicis, Polonicis, & Hungaricis. Item ex particularibus *Curiensium & Rheticarum Ecclesiarum confessionibus*, anno 1661. editis. Ex *Formula consensus inter Helveticas Ecclesias & Genevensem*, in doctrina de Cæna, concepta anno 1594. Ex *Confessione* primorum Reformatorum *Ecclesiarum Danicarum* edita anno 1530. & 1537. Ex *Articulis à Luthero* conceptis, ut traderentur in Concilio, quod prius erat Mantuæ institutum, ac postea Tridenti est celebratum, à multis doctoribus Ecclesiarum Germanicarum subsignatis. Ex *Confessione Saxonica*, quæ repetitio est Confessionis Augustanæ, conscripta anno 1551. & ex *Witebergensi*, anno 1552. edita. Ex *Catechismo Anglicano* cõscripto jussu & autoritate pijssimi Regis *Eduardi* VI. anno 1552. Et ex *Confessione Ecclesiarum Anglicarum* eodem anno conscripta, & repetita sub præstantissima Regina *Elisabetha*, anno 1552. & publica Reginæ authoritate confirmata, anno 1571. uti quoque ab hoc Rege Magnæ Britanniæ *Iacobo*. Atque etiam ex alia quadam Confessione edita ab exulibus Anglis

tempo-

temporibus *Mariæ*, anno 1556. quæ Anglis & Scotis est communis: uti quoque ex Apologia Ecclesiarum Anglicarum conscripta à præstantissimo Theologo *Ioanne Iuwello*, & pro scripto publico edita anno 1562. Ex *Scotica Confessione* autoritate Majestatis Regiæ confirmata atque edita, anno 1559. Ex *Gallica Confessione* primò edita anno 1559. recognita anno 1561. confirmata in Synodo Nationali Rupellana, & subsignata à Regina Navarræ ejusque Filio, postea Rege Galliarum, atque etiam à fortissimo illo Heroe *Ludovico* Nassovienſi Comite. Item ex *alia Confessione Ecclesiarum Gallicarum*, quæ Imperatori atque Imperij Principibus in Comitijs Francofurtensibus tradita fuit anno 1562. Ex *Confessione Ecclesiarum Majoris & Minoris Poloniæ, Lithuaniæ, & Samogitiæ*, concepta in Synodo Czengeriana anno 1570. Ex *Confessione Friderici Pij*, Electoris Palatini, quæ loco communis totius Palatinatus Confessionis habetur, Testamento relicta anno 1576. Atque etiam ex diversis *alijs Confessionibus à Theologis Palatinis* conscriptis adversus eos, qui se Lutheranos nominant, & nuper, ut eos invitarent ad pacem & concordiam, propositis. Ex Confessione *Ernesti Frederici* Marchionis *Badensis* directa etiam adversus horum Lutheranorum errores, edita anno 1599. Ex *Confessione* Ecclesiarum Reformatarum in Germania ante paucos annos jussu Electoris *Brandenburgensis* & Ducis *Borussiæ* edita. Omnes hæ Confessiones acceptæ secundum *Harmoniam Confessionum*, & observationes eidem additas, ac nomine Ecclesiarum Gallicarum & Belgicarum editas, sententiam nostram clarissimè confirmant.

Remonstrantes ex omnibus Reformatarum Ecclesiarum Confessionibus tantum duas producunt, quas nobis adversari dicunt. Prima est *Confessio Augustana*, de qua superius actum fuit. Prima ejus editio perspicuè ponit sententiam nostram: ac tametsi in secunda editione verba quædam omissa sint, tamen in tota illa Confessione nihil est quod nobis adversetur. Quinimmò ubi in articulo vigesimo agitur de abusu doctrinæ de Prædestinatione, uti quoque facit Saxonica, quæ repetitio est Augustanæ, docetur apertè de Prædestatione secundum sententiam nostram. Atque in articulo, quem Remonstrantes spectant, non damnatur doctrina nostra de Perseverātia verorum fidelium, sed tantum error quorundam Anabaptistarum ejus temporis, qui do-

Augustanæ Confessionē non damnare sententiam Contra-Remonstrantium.

qui docebant Regenitos, qui Spiritum Sanctum semel accepissent, non amplius posse peccare, quem errorem nos quoque condemnamus, quippe quæ nullam habeat affinitatem cum nostra de Perseverantia doctrina, uti supra demonstratum fuit, Secunda est *Helvetica, cui se quoque adjunxit Ecclesia Genevensis.* Sed an non satis imprudenter propriam hic causam produnt? Si enim Helvetica Confessio ita concepta est, ut Ecclesia Genevensis, quæ tam manifestè semper stetit, atque etiamnum stat, in sententia nostra, eam approbaverit, quæ ratio probabilitatis esse potest, in illa Confessione quidquam doceri contra sententiam nostram, cum in dubium venire non possit, Genevenses quidquam esse aprobaturos, quod ipsorum sententiæ repugnet? In illa confessione abusus quidem doctrinæ de Prædestinatione reprehenditur, rectusque usus ostenditur, qui in eo consistit, ut à Fide in Christum tanquam ab effectu ascendatur ad Electionem, quæ ejusdem causa est, ut ex effectu de Electione ipsa certi reddamur: quod consentit cum doctrina nostra, & Remonstrantium sententiæ repugnat. Sed nusquam quidquam dicitur, quod sine manifesta à genuino sensu detorsione contra sententiam nostram produci possit.

Neque Helvetica.

A Confessione accedunt ad *Catechismum*, de quo obiter dicunt *subscriptionem ejusdem olim a Ministris non fuisse postulatam*, quasi eo significare velint, eum olim pro Formula Cõsensus nõ fuisse habitũ, quoniam Ministri olim non tenebantur ei subscribere. Sed observandum hic est, postquã Catechismus hic à Reformatis Belgicis Ecclesiis Belgica lingua utentibus, uti quoq; Catechismus Calvini ab ijsdem Ecclesiis Gallica lingua utentibus, in Synodo Nationali Emdensi solemniter receptus fuit, omnibus Ministris in Ecclesiis majoribus mandatum fuisse, eundẽ publicè explicare: quod ipsum nemo bona conscientia promittere potuit se facturum, qui doctrinam eodem comprehensam non judicaret S. Scripturæ cõsentaneam. Adeo ut explicatio Cathismi habita fuerit pro ejusdem subsignatione. Postea verò propter causas gravissimas consultum fuit judicatum à Synodis, ut Ministri & Ludi-Magistri, cum primùm munus suum recipiunt, eidem quoque manibus suis subscriberent. Verum non sine causa hanc Catechismi subscriptionem libenter abrogatam vellent, quia nullum locum aut argumentum ex illo producunt, quo Antiquitas doctrinæ ipsorum in hisce Ecclesiis confirmetur, uti quoque nullum producere possent. Sed dicunt, *Ex Catechismo antiquitatem Doctrinæ Contra-Remonstrantium de Prædestinatione, de morte Domini nostri Jesu Christi*

Catechismum Belgicum non adversari sententiæ Contra-Remonstrantium, sed eam confirmare.

Christi, & de irresistibili gratia non posse probari. Contrarium jam statim superius probatum fuit, uti quoque parati sumus plenius idipsum probare, cum opus fuerit. Adversus quod illi regerunt, *se contrarium postea probaturos*: ubi nos quoque tum illis respondebimus. Saltem manifestissimè constat Doctrinam de Perseverantia Sanctorũ in Catechismo multis in locis secundum sententiam nostram perspicuè doceri, quemadmodum supra multis locis fuit comprobatum. Adhæc respondent Remonstrantes, *locos illos esse ejusmodi, ut nisi cõmodè explicentur, Catechismus ipse secum non possit consistere.* Cæterùm commoda hæc explicatio deberet consentire aut cum Remonstrantium, aut cum Contra-Remonstrantium sententia. Si existimant interpretationem illam ita instituendam esse ut loci hi consentirent cum sententia Remonstrantium, aut Catechismum alioquin secum pugnaturum, planè à vero est alienum Conantur hoc probare duabus rationibus: prima desumpta est à doctrina *de Pædobaptismo* altera à doctrina *de Excommunicatione.* Vtrique rationi in Collatione Hagiensi abundè responsum fuit, cum ibidem quoque contra Doctrinam de Perseveranria Sanctorum adducerentur: & solidè demonstratum illa quæ hic iterum ex Catechismo producuntur non pugnare cum dicta Doctrina. Adeò ut opus non sit ista hic repetere. Collat. Hag edit. Belg. pag. 336. 337 edit. Lat. p. 52. 53.

Ex hisce omnibus Nobiles ac Præpotentes Domini ORDINES, Illustrissimus Princeps MAVRITIVS, Reformatæ harum reigonum Ecclesiæ, atque adeò omnes, qui partium studio non sunt abrepti, intelligere facilè possunt, Remonstrantes de ulla doctrinæ suæ antiquitate gloriari non posse, neque respectu Scripturæ, neque respectu primitivæ Christianæ Ecclesiæ, neque etiam respectu primæ Reformationis, & receptæ harum Ecclesiarum doctrinæ, frustraque conari ut se ab introductione Novitatum in hasce Ecclesias excusent. Quæ omnia parati sumus pleniùs demonstrare productione librorum, atque ostensione locorum quandocunque hoc necessarium fuerit.

Remonstrantes quasi in conscientijs suis convicti quod doctrina ipsorum nunquam in hisce Ecclesijs recepta fuerit, ac proinde nova doctrina sit in ijsdem, subinde obiter quædam argumenta producunt, quæ huc facere videntur, ut ijs probent, si ipsorum doctrina non fuit recepta, eam neque rejectam aut condemnatam fuisse, sed eos qui illi fuerunt addicti, aut qui illam docuerunt, in hisce Ecclesiis nihilominus fuisse toleratos. An doctrina Remonstrantium in Ecclesijs Belgicis olim fuerit tolerata.

Prima ratio, qua id ipsum probare nituntur, est: *quia* (uti dicunt)

Ordines Hollandiæ & West-Friſiæ,

cunt) *Nob. & Præpot. Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ nunquam permiſerunt ut quiſquam tantum propter ſententiam Remonſtrantium cenſura Suſpenſionis aut Remotionis à munere notaretur.* Reſpondemus multum eſſe diſcriminis inter tolerantiam ejus, qui tantùm ſententiæ Remonſtrantium addictus eſt, eamque ſecum ſervat, & ſe quiete gerit, & inter tolerantiam eius, qui hanc ſententiam publicè docet, aut privatim diſſeminat, cum ædificationis & pacis Eccleſiæ magno detrimento, aut qui receptam doctrinam refutat, atq; odioſis conſequentiis & calumniis traducit. Etiamſi ita eſſet, ut aliqui qui tantum huic ſententiæ fuerût addicti, atque eam ſibi ſervaverunt, neq; in Eccleſiis turbas aliquas dederunt, tolerati fuerint, hoc tamen cauſſæ Remonſtrantium non prodeſſet, qui ſententiam ſuam ſibi non ſervarunt, ſed qui eam, invitis etiam Eccleſiis, concionibus & ſcriptis quâ poſſunt vehementiſſimè docent, & propagant, quique receptam doctrinam refutant, ac quam odioſiſſimè abominandis conſequentiis injuſte gravant, calumnijs proſcindunt, eamq; paſſim conantur extirpare. Qui inſuper multa alia dogmata, præter ea, quæ quinque hiſce articulis proponuntur, docent adverſus receptam doctrinam, uti demonſtrari contra ipſos poteſt, atque infra à nobis commonſtrabitur. Remonſtrantes autem ne unum quidem exemplum producere poterunt, quod toto Reformationis tempore ûnqnam antehac, priuſquam illi ſurrexerunt, & ab Ill. DD. Ordinibus adverſus omnes Eccleſiaſticas cenſuras protegi poſtularunt, quiſquam ex omnibus harum Eccleſiarum doctoribus ſententiam Remonſtrantium, etiam in hiſce quinque tantum articulis comprehenſam, publicè docuerit aut diſſeminaverit, qui propterea ab Eccleſijs harum regionum publica cenſura non fuerit notatus, etiam ſcientibus & conſentientibus Ill: DD. Ordinibus, aut eorum Deputatis.

Clemens Martini, & Cornelius Meinardi,

Producunt adverſus hæc *Clementis Martini, & Cornelij Meinardi* Paſtorum Eccleſiæ Hornenſis exempla, de quibus dicunt, *eos in publico ejus Eccleſiæ Miniſterio uſque ad finem vitæ permanſiſſe, etiamſi in Apologia quadam rotundè ſignificent ſe Remonſtrantium ſententiæ aſſentiri.* Demonſtravimus ſupra ex iſta apologia non poſſe clare doceri, iſtos Paſtores ſtetiſſe in Remonſtrantium ſententia. Verùm etſi concederemus eos in illa ſententia ſtetiſſe, nunquam tamen probabitur eos hanc publice docuiſſe aut diſſeminaſſe. Apologia iſta ipſis invitis in lucem protacta fuit. In eadem diſertè profitentur ſe ſententiam fratrum, qui in articulo de

lo de Prædestinatione paulo altius sentirent, nolle reprehendere, aut eidem resistere. Declararunt etiam, postulante eorum sententiam Synodo, se nihil habere adversus Cornelij Viggeri suspensionem à munere, quæ tamen facta fuit propterea, quod ille sententiam Remonstrantium publicè docuisset. Quæ ergo communio est huius causæ cum causa Remonstrantium. Si Remonstrantes tantùm starent in sententia horum duorum Pastorum, & si sese ita quoque semper gessissent erga Ecclesiam, aut si adhuc ita se gerere vellent, ita possent ejusmodi exempla allegare. At enim cum inter ipsos & hosce Pastores tanta sit dissimilitudo, cumque Remonstrantes nec dum se ad illorum exempla componere velint, quorsum ejusmodi exempla spectare possunt, quam ut ijsdem Remonstrantes de iniquis atque intolerandis actionibus suis magis magisque convincantur.

Addunt, *Quæsitum fuisse in Synodo Harlemensi jam tum anno 1582, atque etiam deliberatum: Cum Ministri quidam difficultates haberent in Articulo de Prædestinatione, quousque Minister in eo tolerari posset: sed de hac quæstione nihil fuisse statutum.* Si de illa quæstione nihil fuit statutum, ex eo apparet eam quæstionem non habitam fuisse tam facilem solutu, quam Remonstrantes arbitrantur, Atque etiam hasce Ecclesias jam tum difficultatem haud exiguam inveniisse in tolerantia eiusmodi Ministrorum. Declaravit tamen satis dicta Synodus, quid sentiret de tolerantia Doctrinæ & Doctorum Remonstrantium. Nam cum in eadem Synodo *Casparus Coolhasius*, qui Remonstrantium doctrinam publicè docuerat ac propugnaverat, ac propterea ab Ecclesia censura notatus cum judicio Ecclesiæ obtemperare nollet, publicè ibi fuit excommunicatus, inde colligi facilè potest Synodum hanc intellexisse, non esse tolerabile in hisce Ecclesiis Reformatis, ut Remonstrantium sententia publicè in ijsdem doceatur. De quæstione dicta etiam statutum fuit ita, ut facilè intelligi possit, Synodum hanc non potuisse approbare ejusmodi Tolerantiam in articulo de Prædestinatione, nullis limitibus circumscriptam, quam Remonstrantes desiderant & quærunt. Ita enim Synodus respondit: *Quandoquidem in specie non constat, quousque ejusmodi error se extendat. Et quousque isti velint tolerare, nihil de hac quæstione statutum fuit: sed cum omni prudentia atque æquitate conferendū erit cum talibus, qui in hisce dubij sint, ac pro ratione causæ postea cum illis erit agendum.*

Synodus Harlemensis anni 1582.

Quibus satis apertè significatur Synodum hanc non judicasse qualemcunque in hoc articulo errorem esse tolerandum, neque etiam quoscunque Ministros: sed prius inquirendum esse, *quousque error ille se extenderet*, sive quousque illi à communi sententia discreparent, ac quantus hic eorum error esset, quousque tolerari vellent, an tantum in sententia, an etiam in docendo, & quousque in docendo progredi liceret. Posset enim fieri ut tam longè discreparent, aut ita docere vellent, ut non essent tolerandi. Cum præterea statuitur, *pro ratione causæ cum illis agendum esse*, inde apparet errorem illum in articulo de Prædestinatione ab Ecclesia nunquam fuisse receptum.

D Iacobus Arminius.

Tandem adjungunt exemplum *D: Iacobi Arminij*, de quo dicunt, *Ecclesiam Amstelodamensem tam illustre ei dedisse testimonium, cum Leydam discederet, ut illustriusteſtimonium doctrinæ & vitæ doctori alicui dari non possit, etiamsi scirent illum in articulo de Prædestinatione diversum sentire: ac propterea (ut nunc quidem dicunt) promotionem ejus ad Academiam Leydensem non approbarint.* Illud quidem verum est Ecclesiam Amstelodamensem promotionem D Arminij ad Professionem Theologicam in Academia Leydensi non admodùm approbasse, quod sciret quantæ difficultates plerumque in Ecclesijs omnibus oriri solent, ubi in Academijs, ex quibus prodire debent Ecclesiarum Ministri, Doctores sunt, qui Novitates aliquas in doctrina fovent, atque ijsdem famam ingenij subtilioris venari conantur, quemadmodum D. Arminius ejusmodi suspicionibus causas quam plurimas dederat. Ac propterea nunquam in ipsius demissionem consensisset (judicabat enim talia ingenia authoritate & cura benè constituti Synedrij intra limites coërceri posse, atque in Ecclesia particulari non posse tantum nocere, quam in Academia publica) nisi *Ioannes Utenbogardus* unà cum aliis Deputatis, uti quoque ipse *D. Arminius*, multis crebrisque petitionibus hanc dimissionem ursissent. Atque hoc etiam verum est Ecclesiam illam rationes aliquas habuisse quibus constabat, sed plures quibus suspicabatur, Arminium in Articulo de Prædestinatione non sentire cum reliquis Ecclesiis, atque hac de causa aliquoties cum ipso egisse. Sed nunquam Amstelodami in isto articulo ita se manifestavit, uti postea fecit, atque uti nunc faciunt Remonstrantes: sed semper quæsivit sententiam suam, quantum quidem potuit, occultare. Quemadmodum notissimum est eum adhuc paulò ante obitum in Collatione habita cum *D. Gomaro* in Confessu Illustr. DD. Ordinum

dinum publicè & rotundè declarasse se doctrinæ nostræ de Perseverantia Sanctorum nunquam contradixisse, neque adhuc velle contradicere, sed tantum velle se considerationes suas, earumque rationes adversus illam proponere, quia agnosceret pro sententia nostra esse talia argumenta, quæ ipse non posset refutare: cui doctrinæ hodie Remonstrantes non tantum contradicunt, sed etiam quam odiosissimè ac calumnioſe eam traducunt. Ecclesia Amstelodamensis tamen eum dimittere aut ei testimonium dare noluit, nisi prius sanctè promitteret, se sententiam suam peculiarem quam fortè haberet, sibi servaturum, non disseminaturum, neque studiosis inculcaturum, quod etiam solenniter promisit pectus suum percutiendo, & nomen Domini invocando: ac nisi prius cum D. Gomaro, præsentibus Deputatis Synodi super hisce articulis conferret, eique satisfaceret. Hæc collatio habita fuit præsentibus Curatoribus, & quibusdam Synodi Deputatis, in qua cum rotundè declararet se approbare omnia illa, quæcunque *Augustinus* ac reliqui Patres contra Pelagianos olim scripserunt, ita demum hoc testimonium post hanc promissionem & declarationem ipsius ei fuit datum. Remonstrantes certò credant, si Arminius tum temporis sic se gessisset erga Ecclesias & doctrinam receptam, uti nunc se gerunt primarij inter Remonstrantes, Ecclesiam Amstelodamensem non tantum negaturam fuisse illi bonum dare testimonium, sed etiam actionem contra ipsum legitimè instituturam fuisse. Notum quoque omnibus est, simul ac Arminius Leydæ incepit se manifestare, statim Ecclesias hujus regionis ejus novitatibus se opposuisse, ac cum ipso ulterius fuisse acturas, secundum ordinem Ecclesiarum, nisi à superioribus fuisset impeditum. Quare ex hisce exemplis probari neutiquam potest, Ecclesias harum regionem unquam toleraſſe, ut hæc dogmata in hisce Reformatis Ecclesijs publicè docerentur.

Remonstrantium doctrina in his Ecclesijs nunquam fuit tolerata.

Contra nos clare possumus ostendere, ex Synodorum tam Nationalium, quam Particularium actionibus institutis adversus diversos Ministros harum Ecclesiarum, qui tentaverant hæc Remonstrantium dogmata publicis concionibus & scriptis docere, semper illis fuisse restitum, eosque semper censura fuisse notatos ac coërcitos, etiam consentientibus Illustr. DD. Ordinibus, nonnullos Suspensione, alios Remotione à munere docendi, aliquos etiam Excommunicatione, uti idipsum exemplis *Caspari Coolhasij*, *Hermanni Herberti*, & *Cornelij Viggeri* abundè probari potest. Adversus *Cornely Viggeri* exemplum Remon-

strantes inferunt, *causam ipsius aliam habuisse rationem, quia totum ejus negotium simul colligatum aliter se habebat.* Sed quam, quæso, rationem causa illius habuit aliam, quam nunc habet causa Remonstrantium? Ille aggressus fuerat dogmata Remonstrantium palam docere, eadem ab Ecclesijs Hollandiæ Borealis in diversis Synodis, uti quoque ab Academia Leydensi, & nonnullis Deputatis Ministris Hollandiæ Australis, inter quos ipse *Utenbogardus* etiam fuit, declarata fuerunt *ejusmodi esse, quæ recedant ab Analogia fidei, quæ in Verbo* DEI, *seu in Propheticis & Apostolicis scriptis V. & N. Testamenti tradita est, atque aliena sint à Confessione Fidei, & à Catechismo, non tantum Reformatarum hujus Belgij Ecclesiarum, sed etiam reliquarum omnium, quæ hucusq; per* DEI *gratiam sunt Reformatæ: atque adeò quidem aliena sint, ut neque cum veritate Verbi divini, nec cum Confessione harum Ecclesiarum commodè conciliari, neque sine magno incommodo & scandalo in Ecclesia* DEI *doceri possint.* Censura Academiæ Leydensis contra doctrinam Cor Viggeri cum Remonstrantium sententia congruentem.

Cumque ab hisce dogmatibus absistere atque Ecclesijs debitè satisfacere nollet, propterea legitimè judicio Synodi, atque Academiæ Leydensis, consentientibus Illustr. D D. Ordinibus, à Ministerio remotus fuit. Remonstrantes adversus hæc regerunt, *eum non fuisse remotum à numero docendi, quia hæc dogmata docebat, sed quia contrariam aliarum Ecclesiarum doctrinam judicans intolerabilem, atque ejusdem solemnem Reformationem postulans, se à Reformatis Ecclesijs separaverat, eisque fraternitatem renunciaverat.* Sed quamvis ista non feciſset, tamen remotio ejus propter doctrinam subsecutura fuisset. Quod cum animadverteret, voluit præoccupare, & Ecclesijs prius fraternitatem renunciare, antequam illæ hanc ipsi renunciarent. Nec judicium Synodi, nec Academiæ, neque ipsius etiam Utenbogardi huic renuntiationi innititur, sed tantum ejus doctrinæ, ut Acta clarè demonstrant. Atque etiamsi res ita se haberet, an causa Remonstrantium meliori loco erit, quam hæc causa Viggeri? Quomodo enim Remonstrantes doctrinam nostram habere possunt pro doctrina tolerabili, si in animis sentiant, quod quotidie declamitant, doctrinam nostram esse abominandam, blasphemam, Manichæam, & Turcicam doctrinam? An talis doctrina in Reformatis Ecclesijs tolerari debet? Cum Remonstrantes declarant Doctrinam nostram ex Ecclesijs Reformatis exstirpari debere, atque ut hoc fiat quotidie allaborant, an non hoc multo plus est, quam doctrinæ hujus Reformationem

Presf. decla. pag. 84

mationem postulare? Cum Collegas suos, Magistratuum potestate, non tantum è Cathedris, sed etiam ex urbibus depellant atque ejiciant, an non hoc plus est, quam fraternitatem illis renuntiare? Adeò ut causſa Remonstrantium non tantum æque mala, sed etiam longè peior sit causſa Cornelij Viggeri: ac proinde aut Ecclesiæ Hollandiæ Borealis, Academia Leydensis, atque etiam ipse Vtenbogardus Cornelio huic, ejusque doctrinæ, olim magnam fecerunt injuriam, aut Remonstrantes diffiteri non poterunt, ipsos eorumque doctrinam eidem subjacere censuræ. Ex quo iterum apparet Ecclesias, atque Academiam hujus regionis, semper judicasse Remonstrantium doctrinam non tantum novam esse in Reformatis Ecclesijs, sed etiam easdem Ecclesias, uti quoque Illustr. D.D. Ordines hujus regionis, nunquam tolerasse, ut hæc doctrina in hisce Ecclesijs publice doceretur.

Remonstrantes injuste accusant Cõtra Remonstrantes, quod Novitates doceant.

Remonstrantes postquam ita frustra se excusarunt, quod ipsi Novitates nullas doceant, quia tamen omnibus notissimum est, controversias esse in doctrina, ac proinde necesse esse ut alterutra contendentium pars Novitates doceat, non tantum illud de sua doctrina diffitentur, sed etiam nos accusant, nos dogmata aliqua docere, quæ Novitates sint in hisce Ecclesijs. Eum in finem dicunt *se hac occasione quasi necessitate compulsos esse, ut Illustr. DD. Ordinibus indicent diversas Novitates, quæ à Contra-Remonstrantibus doceantur contra primam Reformationem.* Sed quænam, quæso, necessitas illos compellit ad collegas suos ita publicè et injustè accusandum? An non possunt alia ratione se excusare, quam alios injustè accusando? Quod si verò existiment Collegas ipsorum hic esse reprehendendos, cur hac in parte nunquam secuti fuerunt Regulam Christi, & rectum Ecclesiarum ordinem? Quare hasce accusationes suas nunquam in Consistoriis, Classibus, aut Synodis Ecclesiasticis, legitimè instituerũt? Simul ac quis existimat se aliquid habere adversus Symmystas suos, an statim confugiendum erit ad Supremum Magistratum, & an statim coram ipso absentes quam atrocissimè accusabit, ac postea accusationes illas typis publicatas in vulgus disseminabit inter amicos atq; hostes, ut hac ratione honori Symmystarum labem aspergat? An hæc etiam Christianè, fraternè atque Ecclesiasticè aguntur? Verum quis à Remonstrantibus, dum persequuntur causſam suam, alias actiones expectabit, cum factionem hanc Remonstranticam contra omnes Christiannos & Eccle-

& Ecclesiasticos canones inchoarint atque hucusque persecuti sint. Sed accedamus ad rem ipsam, ac perspiciamns quas Novitates, & quo fundamento veritatis, Remonstrantes nobis impingere conantur. Producunt undecim diversas, uti dicunt, Novitates, quas dicunt nos docere contra primam Reformationem, quarum quædam sunt quæ affinitatem habent cum dogmate de Prædestinatione, atque annexis capitibus, aliæ non habent: quædam pertinent ad doctrinam ipsam, quædam autem tantum ad quorundam actiones.

Undecim Novitates, quas Remonstrantes Contra-Remonstrantibus affingunt.

Prima Novitas, quam Remonstrantes nobis affingunt, hæc est, nos docere, *Deum aliquos homines creare ad condemnationem*. Hoc dicunt docere *Gomarum*, *Festum*, & *Triglandium* Ita loquitur *Gomarus* in disputatione de Prædestinatione: *Quare si quos destinavit ac creavit Deus ad interitum, permissione culpæ ipsorum inferendum, ad suam gloriam, injustitiæ sine injustitia accusari non potest. Festus* nunquam, neque in concionibus, neque in scriptis suis, hoc loquendi modo usus fuit. Transtulit olim in linguam Belgicam Explicationes Catechericas D. *Zachariæ Vrsini*, in quibus Vrsinus alibi dicit, *Deum Diabolos atque impios creasse quidem, sed ad interitum, Proverb 16. 4.* Et *Creationem Reproborum esse effectum Reprobationis* Hæc Festus Belgicè transtulit: ac propterea quotidie ipsi à Remonstrantibus objicitur, illum docere Deum hominé creasse ad damnationé: *Vrsinum* verò ne semel quidem hic nominant; quanvis *Festus* in translatione hunc loquendi modum ex Vrsini mente, ut offensionibus ac calumniis occurreret, hoc modo emollierit, *Deum Diabolos & impios creasse, sed præordinatos ad interitum. Proverb. 16. 4. Creationem Reproborum esse consequens Reprobationis.* Similiter neque *Triglandius*, hoc modo loquendi in concionibus aut scriptis suis unquam usus fuit, sed tantum adversus illos, qui istum in alienum planè sensum calumniosè detorquent, declaravit, qua occasione, ac quo sensu, modus hic loquendi à nonnullis Reformatis Doctoribus sit usurpatus.

Prima Novitas.

De creatione ad damnationem.

Adversarij doctrinæ de æterna Dei Prædestinatione, sub qua etiam Reprobatio cõprehenditur, idipsum semper, atq; olim etiam D. *Augustino*, reliquisque Patribus Orthodoxis objicere solent Si Deus ab æterno aliquos homines reprobavit, inde sequi reprobos illos creari ad condemnationem: ac proinde ex doctrina de æterna Prædestinatione sequi Deum aliquos homines creare ad interitum: quod quia absurdum judicabant, absurdam quoque putabant esse doctrinam de Prædestinatione, ex qua hoc sequeretur

Hui

Huic objectioni aliquando à nonnullis doctoribus responsum fuit, etiam si dicatur hoc ex illa doctrina sequi, si rectè explicetur atque intelligatur, non esse ita absurdum, quia in commodo aliquo sensu admitti possit. Ac proinde nonnulli adversariorum importunitate pressi hunc modum loquendi aliquando admiserunt, atq; etiam usurparunt, eodé in sensu, quo in S. Scriptura usurparur Proverb. 16. 4. Roman. 9. 21, atque alibi. Vnde adversarij occasionem sumpserunt eosdem Doctores, eorumque doctrinam, odiosè calumniandi, hunc loquendi modum extra & contra ipsorum mentem in sensum planè alienum detorquentes, atque hisce doctoribus affingentes, illos isto loquendi modo docere Deũ aliquos homines creasse simpliciter ex pura libidine, ut eos condemnet, sine ullo peccatorum respectu, Doctores isti contra publicè declarunt, magnam ipsis fieri injuriam cum hæc illis affinguntur, se ista phrasi non velle significare Deum Reprobos eum tantum in finem simpliciter creasse, inter ut interirent, sed ut propria culpa euntes DEI justitiam declararent. Toto se pectore agnoscere, Deum neminem ab æterno destinasse ad interitum seu condemnationem, nisi justissimè ob propriam culpam, & propria peccata ipsis inferendam. Aliam esse caussam creationis, & aliam condemnationis. Adeò ut hac phrasi tantum id significare voluerint, Deum ab æterno antequam homines creati fuerunt, aut nascuntur certò & immutabiliter decrevisse quosdam homines justè propter propria ipsorum peccata condemnare, atque hoc modo gloriam justitiæ suæ declarare: atque ipsum qui hoc probè præsciverit, & certo decreverit, nihilominus homines illos creasse & nasci voluisse, Hunc sensum possemus quidem commodiùs exprimere, quam per istum loquendi modum, quoniam durior est, multisque detorsionibus & calumnijs obnoxius, quare etiam rarò admodum à Reformatis doctoribus usurpatur; ac planè omitti posset, modo interim doctrina de æterna DEI præordinatione, quam nonnulli illo exprimere voluerunt, omissione aut rejectione durioris huius loquendi modi non condemnetur aut reiiciatur.

Si verò hinc sequeretur Deum homines quosdam creasse ad interitum eo sensu, quo phrasis hæc detorquetur, idem etiam tam bona consequentia ex Remonstrantium doctrina sequetur, quam ex nostra. Nam cum Remonstrantes etiam fateantur Deum ab æterno immutabiliter decrevisse quosdam homines, quos infalliliter præscivit non esse credituros, justè condémare, & tamen post quam hæc præscivit & decrevit, nihominus hosce homines creasse,

Ex Remonstrantium doctrina sequitur Deum creasse homines ad condemnationem,

cur inde non possemus tam solidè, & tam bona consequentia, quæ ex doctrina nostra, concludere, hosce homines ad condemnationem creari, aut nasci? Nisi fortè Remonstrantes dicere velint, quando Deus homines creat, aut producit, eum non præordinasse, nec præsciviisse, qualis futurus esset ejusdem finis, seu exitus: quod nihil aliud esset, quam Dei Providentiam & infallibilem præscientiam apertè negare. Quando itaque nonnulli Reformati Doctores hoc loquendi modo exprimere volunt, Deum non tantum ab æterno certò præsciviisse, sed etiam immutabiliter præordinasse, quosdam homines in tempore propter peccata ipsorum justè esse condemnandos, ad declarationem justitiæ suæ: ac proinde eum istos homines non creare, seu producere, nisi prius eorum fines seu exitus ab ipso certò sint præsciti atque præordinati, hæc doctrina non est Novitas. Docetur enim expressè in Confessione, *In hoc mundo nihil fieri sine Dei præordinatione. Deum secundum æternum & immutabile consilium suum quosdam homine relinquere in lapsu & interitu, in quem seipsos præcipitaverunt, ut declaret suam justitiam.* Articul. 13. 16. Neque hoc pugnat cum sexta Catechismi quæstione, quam allegant. Nam cum in eadem docetur, *Deum hominem creasse, ut cum ipso in æterna beatitudine viveret*: eo non significatur Deum, cum hominem crearet, omninò apud se statuisse, & certo decreviisse, omnes homines ad salutem perducere. Nam cum Verbum DEI atque experientia simul apertè testentur non omnes homines salutis participes fieri, ex eo sequeretur aut Deum in proposito suo falsum fuisse, aut in consilio suo mutatum: quod sine blasphemia dici non potest, cum id in DEO statueret Mutabilitatem, Insipientiam, & Impotentiam, quæ omnia naturæ DEI repugnant. Hoc tantum in quæstione illa docetur, ad quem finem homo pervenire potuisset. si in primo integritatis statu permansisset, in quo primùm conditus fuit, scilicet ad æternam beatitudinem, ac Deum in eo statu homini communicasse sufficienter vires, quibus ad illa pervenire poterat. Non enim quæritur ad quem finem DEVS absolutè hominem condiderit, sed an DEVS hominem ita perversum condiderit, & cum hac impotentia, ut Legem DEI perfectè non potuerit præstare. Respondetur per negationem, eoque significatur, DEVM hominem ita creasse, ut sufficientes habuerit vires ad Legem DEI perfectè præstandam: & porro probatur hac ratione, *quia* DEVS *hominem creavit ad imaginem suam in vera justitia & sanctitate*, quæ dona in ipsa creatione

tione homini communicata erant, *ut* ita sufficientibus instructus viribus ad Legem DEI perfectè præstandam, *Creatorem suum rectè agnosceret, atque ex animo diligeret*, & si hoc semper præstitisset, ut ita *cum eo beatus in aternum viveret*. Adeò ut ibi non dicatur, intentionem, aut propositum DEI, cum hominem crearet, absolutè fuisse, omnes homines in eo statu conservandi, atque ita salvos faciendi. Sed tantum ostenditur hic finis possibilis, ad quem homo potuisset pervenire, quippe sufficientibus viribus ad hoc in ipsa creatione instructus, si in eo statu permansisset.

Secunda Novitas esset, *Eosdem docere* DEVM *homines necessitare ad ad peccandum*. Hic loquendi modus admodum est obscurus, atque ambiguus, ac propterea debuissent hic Remonstrantes magis perspicuè loqui, ut ipsorum mens rectè percipi possit, si sincerè hic agere voluissent, neque propositum illis fuisset calumniari. Respondemus paucis: vocem *Necessitandi*, in lingua præsertim nostra, plerumque significare coactionem quandam inferre', adeò ut quando dicimus aliquem necessitari ut aliquid faciat, eo significetur, *eum* à seipso & sponte sua non libenter id acturum fuisse, sed eum satis invitum & nolentem cogi & compelli, ut hoc faciat. Si verò Remonstrantes velint dicere tres illos dictos Ecclesiarum nostrarum doctores docere, Deum homines eo sensu ad peccandum necessitare, respondemus hoc non tantũ esse falsum, sed etiam tam crassum, manifestam, atque impudentem calumniam, quam quæ unquam à quoquam evomi possit. Ipsi enim quotidie contrarium docent, uti quoque id ipsum ex scriptis ipsorum videre licet. Inspiciantur modò Tractatus *D. Gomari* de Prædestinatione, ejusdemque disputationes de eadem materia, Disputationes *Festi* adversus Bellarminum, Defensionem *Triglandy* adversus Vtenbogardum, ipsa luce meridiana clarius apparebit, illos non tantum hoc non docere sed id ipsum publicè reprehendere & refutare. Producant Remonstrantes vel unicum locum, seu testimonium, quo probari possit illos vel hac phrasi uti, vel hunc sensum exprimere. Nos certi sumus eos ne unum quidem posse producere. Quæ ergo hæc est licentia calumniandi? Inter doctos notum est vocem *Necessarium* significare id quod se aliter habere non potest. Quandoquidem autem res aliter se habere nequeunt aut ex natura sua, aut tantum respectu rei alicuius, quæ extra ipsas est, ita duplex statui potest *Necessitas* in rebus, una quæ absoluta est, respectu naturæ

Secunda Novitas.

De Necessitatione ad peccádum.

Duplex Necessitas.

ipsius rei, alia *hypothetica*, quæ rei attribuitur respectu alterius cujusdam rei extra ipsam. Doctores Reformati cum loquuntur de peccando, & cum quæritur an in eo Necessitas aliqua statui debeat, duplici occasione de hac quæstione agunt. *Primò* cum disputatur de Providentia DEI, quæ constat duabus partibus, scilicet æterno DEI consilio seu decreto, atque ejusdem executione, quæ fit in tempore. Docetur autem ab illis nunc in tempore nihil fieri, nec bonum nec malum, nisi quod DEVS in consilio suo decrevit & præordinavit futurum: ita tamen ut DEVS decreverit bonum facere & malum permittere ad bonos fines. Cumque hoc certum sit, consilium hoc DEI esse æternum, immutabile, atque infallibile, ex eo concluditur respectu hujus nihil fieri casu aut fortuitò, sed omnia fieri *necessariò*, hoc est, etiamsi multæ res sua natura aliter potuissent evenisse, tamen respectu hujus consilij DEI omnes res certò ita evenire, quemadmodum DEVS ante decrevit aut facere, aut permittere. Ac proinde peccata etiam non casu aut fortuitò evenire; ac quam vis in se considerata non sint necessaria, sed contingentia, hoc est, fieri possent & non possent, quia in se dependent à caussa mutabili, quæ est voluntas hominis, tamen respectu hujus immutabilis consilij DEI etiam dici posse necessariò evenire, quia ejus respectu eventus ille se aliter habere non potest. Atque hoc non est Novitas, sed perspicuè docetur in Confessione & Catechesi nostra: *In hoc mundo nihil fieri sine* DEI *præordinatione: nihil casu seu fortuitò: sed Deum omnia regere secundum æternum suum consilium & providentiam. Artic. 13. Quæst. 26.* Quicunque ergo hoc negare voluerit, necesse est, ut aut neget æternam Dei Providentiam circa malum, aut dicat DEI consilium esse mutabile & fallibile, quod sane magna foret Novitas in Reformatis Ecclesijs. *Secundò* cum disputatur de Corruptione naturæ humanæ: ita de ea docent Reformati Doctores, Naturam humanam per peccatum adeò corruptam esse, ut homo ex se nihil boni præstare possit, ac proinde ex se nihil aliud possit, quam peccare: Cujus respectu nonnulli etiam aliquando dicunt hominem lapsum & irregenitum necessariò peccare, hoc est, ex se nihil aliud posse facere, quam peccare. Neque hoc est Novitas, sed idem expresse docetur in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum: *Totam naturam nostram esse corruptam. Hominem post lapsum in omnibus vijs suis factum esse impium, perversum, & corruptum. Voluntatem hominis esse tantum servam peccati. Hominem ex seipso*

Duplici occasione agitur de Necessitate peccandi.

nec

nec mentem nec voluntatem habere menti & voluntati divinæ congruentem. Ita nos esse corruptos, ut natura propensi simus ad odium Dei & proximi. Nos esse ita corruptos, ut ad benè agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium proclives. Artic. 14. Quæst. 5, 8. Adversus quæ non pugnat, quod docetur in Catechismo, *Deum hominem creasse ad imaginem suam, hominem verò, impulsore Diabolo, sua ipsius contumacia, se & posteritatem suam, divinis illis donis orbasse*, Quæst. 6. 9. Nec quod docetur in Confessione: *Hominem se ipsum sponte & voluntariè peccato subjecisse.* Nam quod attinet ad lapsum & primum peccatum hominis, quamvis ex proprio & voluntario cordis sui motu lapsus fuerit, neque ulla aut externa aut interna necessitate ad hunc lapsum compulsus sit, quia sufficientibus donis instructus erat, ut posset subsistere, si voluisset, (quod ipsum nos libenter agnoscimus & quotidie docemus) certú tamen est hunc lapsum non accidisse sine DEI æterno consilio & providentia, qua decrevit ac præordinavit non lapsum hunc efficere, sed eundem permittere, & non efficaciter impedire. Hæc enim non pugnant, ut res aliqua fiat ex propria & libera hominis voluntate, ac simul etiam secundum DEI providentiam, quoniam etiam voluntates hominum eidem sunt subjectæ. Atque ita haud incommodè dici potest rem aliquam & in se, respectu liberæ hominis voluntatis, per quam fit, omninò liberè & contingenter fieri, & tamen eandem quoque necessariò fieri respectu æterni Consilij DEI, quod immutabile est, quia hujus respectu se aliter habere non poterat, sed certò fieri debuit. Hanc doctrinam Ecclesiæ nostræ semper approbarunt & receperunt, neque à D. *Molinæo* in epistola ipsius rejicitur. Verùm si quis contra velit docere, DEVM æterno suo consilio permissionem mali non præordinasse, aut consilium hoc DEI esse mutabile, aut quædam evenire casu & fortuitò, sine providentia DEI: aut hominem lapsum ex seipso aliquid boni posse præstare, hoc est, aliud ex se ipso posse facere, quam peccare, hæc sane forent insignes Novitates cum veteribus Epicuræorum & Pelagianorum erroribus consentientes.

Tertia Novitas, quam nobis affingunt, hæc esset, *Nonnulli Contra-Remonstrantes nolle ut doceatur id quod Confessio nostra docet, Artic. 14. Post lapsum in homine remansisse aliquas scintillas donorum excellentium, quæ à Deo acceperat.* Hæc est vera & longè quæsita calumnia, quam ex defectu materiæ arripiunt, nobisque objiciunt. Nos enim libenter permittimus, ut Tertia Novitas.

De Scintillis in homine lapso reliquis.

hoc in recto sensu doceatur, quo in Confessione docetur, atque etiam ipsi hoc quotidie omnibus occasionibus docemus. Verùm imprimis hic sciendum est, quid per hasce superstites scintillas sit intelligendum. Excellentia illa dona quæ homo à DEO acceperat, ejusmodi erant, ut non tantum virtutes morales, sed etiam omne bonum spirituale, quod ipsi ad æternam ejus beatitudinem necessarium erat, intelligere, velle, & facere posset. Horum aliquid homo amisit & aliquid servavit. Quod attinet ad dona quibus bonum spirituale ad beatitudinem ipsius necessarium poterat intelligere, velle, & facere, illa ita penitùs amisit, ut eorum nihil reliquum manserit, quemadmodum ibidem Confessio docet: *Hominem post lapsum omnia excellentia dona sua amisisse: In ipso nec mentem nec voluntatem esse divinæ menti & voluntati congruentem: Voluntatem ipsius tantum esse servam peccati: rejiciendum esse quidquid contra docetur de viribus liberi arbitrij.* Sed quod attinet ad dona, quibus bonum morale & civile, ad hanc vitam necessarium poterat intelligere velle & facere, illa etiam valdè sunt obscurata atque infirmata ita tamen, ut illorum adhuc exiguas retinuerit Scintillas, quas DEVS in homine voluit esse reliquas, ut honestas civilis inter corruptos homines locum aliquo modo habere possit, utque istæ reliquiæ huc fini servirent, ut sint tanquam media, quibus in restauratione imaginis DEI in electis Deus utatur, & tanquam testimonia adversus reprobos justissimæ ipsorum condemnationis, quia *sufficiunt ut hominem reddant inexcusabilem.* *Artic. 14.* Quando Remonstrantes ita secundum Confessionem de hisce Scintillis docent, hoc nos neutiquam improbamus, nam ita adversus nos non docebunt, nequ nos adversus ipsos in hac materia. At enim si per hasce scintillas intelligant vires aliquas intellectus & voluntatis in rebus qui pertinent ad bonum spirituale, quibus homo ex se sit idodens uverum spirituale bonum possit intelliegere, velle, & facere, ei doctrinæ nos contradicimus, quippe quæ sit Novitas directè pugnans adversus hunc Confessionis articulum. Probatio hujus calumniæ, quam Remonstrantes producunt, admodum est infirma. Dicunt *Multos propterea in quodam loco publica templa relinquere, & ad conciones, quæ in horreis habentur, confugere.* Sequis, quæso, hic est locus; & quinam sunt illi qui hoc fecerunt? Si Roterodami dicant hæc contigisse, uti intelligimus de nonnullis illic narrari, non est credibile quenquam publicompla ibi deserentem hanc rationem allegasse, cum ibi mult

ali

aliæ graves, atque omnibus cognitæ, rationes produci possint. Hoc quidem fortè potuit contigisse, hasce Scintillas ibidem à Remonstrantibus, contra expressum Confessionis sensum, ita fuisse suscitatas, ut clarè apparuerit, eos ex illis libenter suscitaturos fuisse ingentem ignem virium humanarum ad bonum spirituale intelligendum, volendum, & faciendum: Et nonnullos hoc intelligentes tam propter hanc, quam propter alias rationes, tandem per motos fuisse, ut ejusmodi Pelagianos errores relinquerent, atque orthodoxis Reformatis Doctoribus se adjungerent. Addunt huic aliam adhuc probationem, quæ multo minoris est momenti: nimirum, *Authorem libri editi adversus testimonia, quibus Decretum Illustr. DD. Ordinum confirmatur, allegantem dictum articulum studio hæc verba omisisse.* Illi qui hoc Decretum, uti vocatur, istis testimonijs confirmare voluerunt, Illustr. DD. Ordinum honori sanè haud benè consuluerunt: cum testimonia illa partim mala fide citentur, aut applicentur, & partim etiam testimonia sint apertorum Semipelagianorum, quasi intentio Illustr. DD. Ordinum foret errores Semipelagianos, qui olim tam solenniter ab Ecclesia sunt condemnati, in Ecclesias suas rursum introducere. Quod autem author qui adversus hæc testimonia scripsit, citans hunc articulum, verba illa de hisce scintillis omiserit, non propterea ab ipso factum fuit, quod doctrinam illis verbis conprehensam secundum Confessionis sensum doceri nollet, aut quod improbaret illa, quæ omittuntur, sed quia non erat necessarium totum illum articulum citare: quemadmodum hoc quotidie fieri videmus, ut aliquis citans ex quodam scripto, quantum sufficere arbitratur ad probandum illud, quod instituerat probare, reliqua omittat, non quod judicet illa rejici debere, sed quia non erat necesse ille citare. Adeò ut aut magna sit imperitia, aut magna iniquitas, unde occasionem velle sumere alicui Novitatem impingendi.

Quarta Novitas, quæ nobis obiicitur hæc est, *Nos non approbare illud quod docetur in Catechismo, quæst. 37. Christum tulisse iram* DEI *adversus peccata totius generis humani.* Illud quoque non est verum: Docemus enim illud quotidie, cum se offert occasio, in eo sensu quem Catechismus permittit, etiamsi non in eo sensu, in quem Remonstrantes hæc verba detorquent. Quæstio hic est, cum dicitur *Christum tulisse iram* DEI *adversus peccata totius generis humani*, quando hæc verba *totius generis humani* sint intelligenda. Remonstrantes asserunt illis verbis intelligi omnes. Quarta Novitas.

omnes & singulos homines, sine ullo discrimine, non tantum omnes fideles, sed etiam omnes infideles in infidelitate manétes ac morientes. Nos cõtra dicimus hanc declarationem non posse consistere, non tantũ cũ verbo Dei, sed etiã neq; cum sensu Catechismi. In quæstione enim 84. expressè docetur, *Iram* DEI *atque æternam condemnationem tantisper infidelibus incumbere, dum in infidelitate sua perseverant.* Qui ergo nunquam se convertunt, & nunquam credunt, sed in infidelitate sua moriuntur, illis incumbit & super eos manet ira DEI, ac proinde Christus per passionem suam hanc iram pro illis non tulit, quia neque ab illis abstulit. Et cu n sit notissimum, eos qui in infidelitate sua moriuntur, in æternum ipsos esse laturos iram DEI contra opsorum peccata; cum etiam DEVS sit iustus, qui peccata bis perfectè non puniet, liquidò apparet, Christum ergo iram DEI, quam ipsi ferre coguntur, pro ipsis, aut ipsorum loco non tulisse: Nisi Deum velimus injuriæ accusare, aut dicere etiam omnes infideles salvos fore, aut Christum voluisse pati pro iis, pro quibus non voluit orare. Quare nos porro dicims verba hæc secundum Catechismi sensum, & usitatam loquendi consuetudinem, intelligenda esse indefinitè, de omnibus fidelibus in toto genere humano, cuiuscunque fuerint temporis, ætatis, aut conditionis. Scopus Catechismi est hisce verbis exprimere gravitatem passionis Christi, scilicet eum tulisse & perpessum esse pœnam illam, quam peccatis *suis* non pauci quidam, sed omnes fideles totius generis humani erant commeriti. Atque hic loquendi modus admodum est usitatus non tantum in communi hominum usu, sed etiam in S. Scriptura: cum quid dicitur de toto mundo, aut de tota terra, ut eo non semper significentur omnes homines, nemine excepto, sed tantùm magna multitudo, aut certum aliquod hominum genus per totum orbem uti cum dicitur Ioan. 12. 19. *Mundus Christum sequitur.* Apocal. 12. 9. *Diabolus seducit totum mundum.* & 13. 3. *Tota terra secuta est Bestiam.* Ita etiam hic per verba *totius generis humani* intelliguntur non singuli homines, sed magna illa multitudo & universalitas omnium fidelium in toto genere humano. Scriptura enim expressè testatur fructum passionis Christi non posse extendi ad omnes & singulos homines, sine discrimine, nemine excepto, sed tantum ad ejus Oves, ad ejus Corpus, & ad eius Populum. Ioan. 10. 15. Actor. 20. 39. Ephes. 5. 13. Math. 1. 21. atque iram DEI ab infidelibus, qui in infidelitate sua manent, non tolli, sed super eos manere. Ioan, 3. 36. Quare nos hoc quod expli-

in Catecheſi hic docetur, omninò approbamus, ita acceptum atq; explicatum uti oportet. Remonſtrantes quod dicunt probare conantur, quid *Theologus Naſſovienſis Piſcator hoc notet cenſura.* Sed ille tantum eos cenſura notat, qui hæc verba extendunt ad omnes & ſingulos homines, ſine diſcrimine fidelium & infidelium, electorum & reproborum. Præterea, *quia Contra-monſtrantes in quibuſdam ipſorum articulis vocem (totius) ſtudio omiſerunt.* Hæc omiſſio non eſt ſtudio facta, ea intentione, ut vocem hanc voluerint rejicere. Nam in articulo iſto, de quo loquuntur, non agitur de fructu mortis Chriſti, quouſque ille ſe extendat, ſed tantum, an Chriſtus pro peccatis plenè ſatisfecerit, quare non erat neceſſe illam vocem ibi adjungere. Scopus enim erat iſto articulo probare, in Catecheſi doceri Chriſtum iram DEI adverſus peccata noſtra tuliſſe, hoc eſt, pœnam tuliſſe, quam nos peccatis noſtris eramus commeriti, atque ita pro peccatis noſtris plenè ſatisfeciſſe. Quare ſufficiebat illa tantum ibi ponere verba, quibus hoc exprimeretur ac propterea quia vox *Totius* hic nihil neque addebat neq; demebat in hac cauſſa, brevitatis cauſſa ibi omitti poterat.

Quinta Novitas.

Quinta Novitas, qua nos gravant, hæc eſt, nos docere *Deum multos vocare atque invitare ſecundum voluntatem ipſius revelatum, quos abſolutè à ſalute excluſit ſecundum arcanam ipſius voluntatem.* Hoc etiam à nobis eo modo quo hic dicitur, & quo communiter ab illis accipitur, non docetur. Sed hoc eſt quod ea de re ſentimus & docemus. In Verbo DEI per *voluntatem* DEI aliquando intelligi ipſius *Decreta*, quibus apud ſe ſtatuit aliquid aut facere aut permittere, ſed non impedire, quæ voluntas ab interpretibus S. Scripturæ diſcriminis cauſſa aliquando vocatur *Arcana* DEI *voluntas*, quoniam DEI Decreta particularia nobis ſunt arcana atque incognita, donec Deus ea aut per prædictiones, aut per eventus nobis manifeſtet. Aliquando intelligi ipſius *Præcepta* & mandata, quibus declarat, quid à nobis fieri aut omitti velit. Atque hæc vulgò appellantur *Revelata* DEI *voluntas*, quoniam hæc præcepta in Verbo ſuo nobis plenè revelavit. Hæc autem non ſunt duæ pugnantes aut contrariæ in DEO voluntates, ſed tantum duæ diuerſæ ſignificationes vocum *Voluntatis* DEI, quæ in Verbo Dei reperiuntur. Hæc diſtinctio Voluntatis Dei in Arcanam & Revelatam non eſt nova, ſed fundata in multis apertiſſimis Sacræ Scripturæ locis. [Pro Decreto accipitur Pſalm. 115. 3. Eſaiæ 46. 10. Matth. 26. 36. 42. Act. 21. 14. Rom. 9, 19. Epheſ. 1. 11. Pro Præcepto. Pſalm. 103. 21. & 143. 10. Matth. 7. 21.

De voluntate Dei arcana & revelata.

& 12, 50. Act. 13, 22. Rom. 12. 2. Ephes. 5. 17. & 6. 6. Heb. 13. 21. 1. Ioh. 2. 17. Patres etiam Orthodoxi eadem distinctione semper usi fuerunt: uti quoque ab omnibus Reformatis doctoribus hoc sensu usurpatur. Arminius ipse eadem utitur, ac diserte in Disputatione de Natura DEI hanc distinctionem ponit, quam ipsius discipuli nunc tam odiosè, ridiculè, & imperitè in scriptis suis exagitant. Quod attinet ad Vocationem atque Invitationem ad salutem, & Exclusionem ab eadem, prius fit per DEI præcepta, ac proinde est Revelata DEI voluntas: posterius fit per decreta DEI, quæ nobis sunt occulta, atque ipsi soli nota, donec ipsi visum fuerit ea nobis per revelationem aut eventum manifestare, ac proinde sunt Arcana DEI voluntas. Quod autè Deus per decreta sua, quæ vocantur Arcana ejus voluntas, quosdam homines à salute excluserit, hoc est, reprobaverit, aut non decreverit salvos facere, agnoscimus ac docemus nos secundum S. Scripturam cum omnibus antiquis & recentioribus Orthodoxis doctoribus. Atque hoc nequaquam est Novitas. Nam in Confessione expressè docetur, Artic. 16. *Deum quosdam reliquere in interitu, in quem se ipsos præcipitaverunt, ad declarationem suæ justitiæ.* Decretum hoc cum dicitur absolutum esse, ambiguè id dicitur. Agnoscimus illud esse firmum, atque immutabile, atque hoc respectu posse absolutum appellari. Ac quamvis deceamus causam, cur DEVS unum magis præterierit quam alterum, non esse quod ille natura corruptior sit altero. cum omnes homines natura æquè sint corrupti, uti in primis Confessionis nostræ editionibus diserte dicitur, *Electos non esse meliores Reprobis. Act. 1.* ac proinde peccatum non esse causam, quare DEVS hunc magis præterierit quam alterum, qui tam ingens erat peccator, quam ille quem DEVS præterit, planè simili in sensu uti Christus dicebat, Ioan. 3. 9. Neque hunc cæcum nequ parentes ipsius peccasse, cur ille, magis cæcus sit natus, quam alius: tamen agnoscimus & docemus DEVM non decrevisse ac proposuisse quenquam damnare, nisi justissimè propter sui ipsius peccata, atque hoc respectu Decretum hoc non posita absolutum vocari, ut DEVS sine ullo peccatorum respectu decreverit quemquam damnare. Respexit enim eorum peccata, tanquam unicam causam meritoriam, propterquam proposuit ac decrevit illos, æterna condemnatione punire secundum justitiam suam, ad ejusdem declarationem. De *Vocatione atque Invitatione ad salutem* docemus, eam fieri duobus medi-

Esse quosdam a salute exclusos aut reprobatos.

Externè per Prædicationem Verbi DEI, in quo nobis præcipit, quid faciendum nobis sit, ut salutis per Christum parræ participes fiamus, scilicet debere nos in eum credere, & nos convertere; *Internè* verò per efficacem operationē Spiritus Sancti, per quam fides & conversio in animis nostris efficaciter efficiuntur. Ac proinde *Duplicem* esse *Vocationem*: *Externam* quæ fit per Verbum: & *Internam*, quæ fit per Spiritum Sanctum. Quando dicitur nos docere DEVM multos vocare, quos non decrevit salvos facere, si hoc intelligatur de utraque tam externa quàm interna vocatione efficaci simul, hoc sensu negamus nos dicere, quod ex tali modo vocatis, aliqui à salute excludantur. Confitemur enim & docemus, omnes tali modo vocatos & justificari, & glorificari. Rom. 8. 30. Verùm si intelligatur de sola externa Vocatione atque invitatione per verbum solum, sine interna, hoc modo agnoscimus & docemus cum Scriptura sacra, multos isto modo vocatos non esse Electos, aut ad salutem præordinatos, ac proinde in consilio DEI etiam certò ab ea exclusos. Neque hæc Novitas est, nec pugnat cum eo quod docetur in Catechesi, *Cum illa nos emittit ad Promissiones Euangelij & ad obsignationem earundem per Sacramenta, ut fides nostra firmiter & certò iis innitatur.* Promissiones enim Euangelij, quæ sunt promissiones de remissione peccatorū, & de vita æterna per Christum obtinenda, nonpertinēt ad omnes & singulos homines, sine discrimine fideliū & infideliū (ita enim omnes homines etiam infideles salvi fierēt) sed expressē tantum fidelibus in Euangelio promittuntur atq; annuntiantur, ac proinde etiam solis fidelibus in usu Sacramentorum obsignantur: uti quoq; in Catechesi disertè docetur: *Per Christum salvos fieri non omnes homines, sed omnes illos, qui ipsi per veram ac vivam fidem inseruntur, omniumque ejus beneficiorum participes fiunt. Christū omnibus fidelibus promisisse tam certò corpus suum in cruce pro ipsis oblatum esse, quam certò ipsi panis & poculi Domini participes fiunt. Econtra omnes eos, qui se ad Deum ex sincero corde non convertunt, edere & bibere sibi ipsis judicium. Omnibus fidelibus per prædicationem Euangelij annunciari omnia ipsorum peccata à* DEO *propter Christi merita remissa esse: contrà verò iram* DEI *& æternam condemnationem omnibus infidelibus incumbere quam diu se non convertunt. Quæstion. 20. 75. 81. 84.* Quare ex Promissionibus Euangelii non potest concludi neminem ex iis, qui externè tantùm vocati atque invitati sunt,

Duplex Vocatio, Externa & Interna.

esse reprobatum, cum hæ promissiones neque per prædicationem Evangelij proponantur atque annuntiantur, neque per Sacramentorum usum obsignantur omnibus & singulis hominibus, sine discrimine, sed tantum conversis & fidelibus. Quandoquidem etiam donum fidei & conversionis non detur à DEO omnibus hominibus, sed multi in infidelitate maneant, ac proinde promissionum Evangelij nunquam participes fiant, indè manifestè apparet DEVM non decrevisse omnes homines harum promissionem participes facere, sed *quosdam relinquere in interitu, in quem se ipsos præcipitaverant. Confess. Artic. 16.*

Sexta Novitas.

Sexta Novitas, quam nos docere dicunt, hæc est, quod docemus, *Fidem in cordibus hominum effici per vim seu potentiam irresistibilem*. Vox *Irresistibilis* est vox nova, aliena & ambigua qua nos non multùm, neque libenter utimur, propter ambiguitatem, sed aliquando uti cogimur propter Remonstrantes, qui cum nova doctrina sua etiam novos excogitarunt terminos, ut sub ijsdem errores suos tanto melius occultare possint. Pleno ore semper, clamitant, se libenter agnoscere in conversione hominis quascunque operationes Spiritus Sancti, modò ne sint irresistibiles. Quid ista voce significare velint, apparuit in Collatione Hagiensi scilicet Spiritum Sanctum in animis hominum operantem cum intentione & voluntate ut fidem in illis efficiat, nō efficacius operari quam hoc modo, ut semper à libera hominis voluntate ac huc dependeat, aut cooperatione voluntatis suæ operationem Spiritus Sancti perficere, aut resistentia voluntatis suæ eam impedire atque hæc est causa cur hæc operatio Spiritus S. *Resistibilis* ab ipsi appelletur. Nos contrà docemus operationem Spiritus Sancti in conversione hominis ejusmodi esse internam atque ita efficacem operationem, qua non tantum potentia ad credendum, sed etiam ipsa fides reipsa efficaciter efficiatur in animis omnium eorum, circa quos hæc operatio adhibetur: adeò ut per hanc operationem efficaciter & reipsa tollatur omnis resistentia, quæ à corrupta hominis voluntate procedere possit: quo respectu hæc operatio *Irresistibilis* vocari possit, quia resistentiam efficaciter & certò tollit. Hæc doctrina nostra non est nova, sed in verbo DEI fundata atque ab omnibus orthodoxis doctoribus, etiam in primitiva Ecclesia, adversus Pelagianos & Semipelagianos errores semper tradita ac propugnata. Ht enim omnes semper magno cum consensu docuerunt, hanc operationem esse talem, ut à nullo duro corde respuatur, sed semper ex nolentibus faciat volentes. Ide-

De irresistibili operatione Spiritus Sancti.

omni

omnes Reformati Doctores adversus Pontificios, Anabaptistas ac diversos novos Pelagianos semper docuerunt ac defenderunt, & in decimo quarto Confessionis nostræ articulo perspicuè docetur. Quæ autem Remonstrantes adversus hæc producunt ex 54. & 65. quæstionibus Catechismi, ubi dicitur, *Ecclesiam colligi, & fidem effici in animis hominum per* DEI *Verbum & Spiritum*, nobis nihil officit, sed potius prodest. Nam si fides efficitur non tantum per Verbum DEI, sed etiam per ejus Spiritum Sanctum; & cum Spiritus S. sit tertia in sancta Trinitate persona, atque hæc dici non possit cum intentione fidem in animis nostris efficiendi ita operari in ijsdem, ut operatio ejus impediri queat, quandoquidem DEVS in intentione sua falli nequit, inde apparet illis verbis potius nostram doctrinam de efficaci operatione fidei confirmari. Si verò de Novitatibus loqui velimus in hoc articulo, deprehendetur Remonstrantium doctrinam de operatione Resistibili, aut de cooperatione liberæ hominis voluntatis in sui conversione, non tantùm quod attinet ad doctrinam ipsam, sed etiam quod attinet ad terminos, quibus hanc doctrinam proponunt, Novum esse in hisce Ecclesijs Reformatis, atque ante *Arminij* tempora parùm auditam. Alij enim qui ante ipsum alibi vires liberi arbitrij propugnarunt, non sciverunt se sub hoc pallio operationis resistibilis occultare.

Septima Novitas.

Septima Novitas, qua nos gravant, hæc esset, *Nolle nos ut Christiani parentes certi sint ac plenè persuasi, infantes eorum baptizatos in infantia morientes salvos esse, sed tantum eos ex charitate & per conjecturam id posse sperare.* Falsum est nos hoc nolle. Contra-Remonstrantes enim hac de re publicè & verè declararunt, *In Ecclesijs nostris doceri, pro electis Dei filijs habendos esse, non tantum adultos, qui in Christum credunt, & secundum eam fidem digne Evangelio ambulant, sed etiam infantes fœderatorum, quam diu reipsa contrarium non ostendunt: ac proinde fideles parentes, cum ipsorum infantes in infantia moriuntur, nullam habere causam de infantium suorum salute dubitandi.* Quid clarius dici potest? Non pudet tamen Remonstrantes nobis contrarium tanquam Novitatem, quæ à nobis doceatur, objicere. Dicunt nonnullos esse Remonstrantes, qui hoc doceant, atque ex illis solum *Donteclockium* nominant. De reliquis nobis nihil constat. Quod ad Donteclockium attinet, ille etiam nusquam hoc docet de infantibus ex Christianis parentibus natis, in infantia morientibus. Etsi enim doceat Prædestinationem etiam extendi ad infantes, & discrimen

De salute infantiū Christianorum in infantia morientiū. 1. Contra-Remonstr. pag. edit. Belg. 210. edit. Lat. p. 23.

in S. Scriptura haud exiguum ostendi inter infantes Fœderatorum, & eorum qui sunt extra fœdus, tamen rotundè declarat de infantibus Christianorum in infantia morientibus: *Hoc potius sentiendum esse de infantibus Christianorum, aut fidelium, in infantia morientibus, eos propter fœdus* DEI *in quo etiam sunt comprehensi, omnes salvos fore, & à* DEO *ad salutem esse electos: nec arcana* DEI *judicia hic esse scrutanda.* Quare quod producunt ex 74. quæstione Catechismi, & ex Formula administrandi Baptismi, nihil facit nec adversus nos, nec adversus Donteclockium. Quamvis Remonstrantes etiam ex illis locis non possent solidè probare, quod hic asserunt. Nam in utroque loco agitur de omnibus infantibus baptizatis, non autem de infantibus solùm in infantia morientibus, de quibus hic tantùm controvertitur. Parentes enim de infantibus, qui in vita permanent atque adolescunt, eam non habent certitudinem, quam habent de morientibus in infantia, de quibus expressam habent promissionem *talium esse Regnum cœlorum. Matth. 19. 14.* Cum enim adolescunt nonnulli, Caini, Ismaëles, & Esaui esse aliquando deprehenduntur, de quorum ergo salute in infantia, quando in illa non moriuntur, talem certitudinem habere non possunt.

Octava Novitas.

Octava Novitas, quam nobis objiciunt, hæc est, *Amstelodami Parentes & Susceptores offerentes infantes suos ut Baptizentur, interrogari, an non agnoscant doctrinam quæ ibi quoque docetur, veram & perfectam doctrinam salutis esse.* Mirandum sanè est Remonstrantes cum nos omnes accusare instituant Novitatum in doctrina, hic producere factum aliquod peculiare unius Ecclesiæ, quod etiam non ad doctrinam, sed ad Ordinem tantum Ecclesiasticum pertinet. Videtur eos ex defectu materiæ quidvis voluisse arripere, quod ipsis obviam factum fuit, ut saltem aliquid dicerent. Sed quam obsecro, Novitatem ista Ecclesia hoc facto introduxit? Clarè doceri potest Formulam illam interrogandi, qua utuntur Ministri Amstelodamenses, omnium esse antiquissimam, & in initio Reformationis semper in Ecclesijs usitatam, uti diversæ antiquissimæ editiones Psalmorum, cum quibus hæc Formula simul conjuncta est, & quæ etiam cum Privilegio Ordinum Brabantiæ & Hollandiæ prodierunt anno 1567 & annis aliquot ab eo tempore, ad manus sunt, quæ idem magno cum consensu testantur. Antiqua hæc formula in Ecclesia Amstelodamensi semper fuit à senioribus ejus Ministris usitata. Adeò ut hic usus non Novitas, sed Antiquitas appellari debeat

De interrogatione Amstelodamensium in administratione Baptismi.

debeat. Dicunt *esse Novitatem contra usitatas* (non audent dicere antiquas) *in omnibus Ecclesijs Formulas.* Illud quidem verum est in Formulis, quæ nunc communiter usitatæ, paulo aliter interrogari, sed tamen ex eo non potest Novitas aliqua concludi. Ante annos circiter triginta deliberatum fuit in quadam Synodo Nationali, an non expediret in gratiam eorum, qui doctrinæ nostræ nondum plenè assentiuntur, ut loco ejus, quod olim à Parentibus & Susceptoribus rogari solet, *An doctrinam illam, quæ hic, seu in hac Ecclesia, docetur, agnoscant veram & perfectam esse doctrinam salutis*: deinceps rogaretur, *An non agnoscant doctrinam illam quæ secundum Vetus & Novum Testamentum in Christiana Ecclesia docetur, veram esse, &c.* & statutum fuit, servandum esse communem & usitatam Formulã, ita tamen ut liberum unicuique sit hæc verba, *Doctrinam quæ docetur*, aut usurpare, aut omittere. An hæc mutatio Formulæ justas ob causas sit facta, disputari posset. Postea quidem multis in locis observata fuit, sed tamen nunquam ab Ecclesijs hisce Reformatis unanimi consensu recepta fuit. At verò si hic de Novitate loqui velimus, magna profectò, inaudita, atque etiam seditiosa fuit Novitas, quam Remonstrantes deliberato consilio, & dicta opera, publicè in templo Amstelodamensi nuper instituerunt per quendam S. Theologiæ in Academia Leydensi Professorem, qui cum ut testis seu Susceptor, fratris sui infantem ibidem Baptizandum offerret, probè conscius in Ecclesia Amstelodamensi interrogationes institui secundum antiquam Formulam, non veritus fuit in plena illius Ecclesiæ congregatione Doctrinam & Ordinem Ecclesiæ Amstelodamensis publicè reprehendere, eique contradicere, atque eo ipso tumultum publicum in Ecclesia excitare. Persuasi enim certò sumus Remonstrantes ex omnibus primitivæ Ecclesiæ Canonibus, aut ex omnibus Ecclesiarum Reformatarum Ecclesiasticis constitutionibus, aut ex ullis Historijs, ne unam quidem regulam, articulum, aut exemplum laudabile producere posse, quo factum hoc à Novitate in regimine Ecclesiastico (ne dicamus à seditione) excusare valeant.

Nona Novitas.

Nona Novitas, quæ nobis imputatur, hæc est, *Nos condemnare sententiam Remonstrantium, & declarare ipsos Christiana communione propterea indignos esse.* Duo hic nobis exprobrantur. 1. *Nos condemnare sententiam Remonstrantium.* Sciendum hic est sententiam seu doctrinam dupliciter posse condemnari, aut publi-

An Remonstrantium doctrina sit condemnata.

co to-

co totius Ecclesiæ judicio, aut particularibus quorundam doctorum judicijs. Publica ab Ecclesijs nostris condemnatio nondum aliqua facta est doctrinæ Remonstrantium, à quo tempore novos hosce articulos produxerunt, quandquoquidem Remonstrantes omnia publica Ecclesiarum judicia declinent: atque hactenus impedire noverint, ut nulla Legitima Ecclesiarum Synodus haberi potuerit, in qua de hac sententia judicari possit. Illud quidem est Iudicijs autem particularibus doctorum Reformatorum, qui inter nos sunt, sententiam Remonstranrium passim censeri cum Verbo DEI pugnantem, ac dissentientem à doctrina recepta in Formulis consensus explicata, ac proinde in Reformatis Ecclesijs doceri non debere, verum quidem est, sed non est Novum, quia semper in hisce Ecclesijs Reformatis ita judicatum fuit. Remonstrantes contrarium conantur probare: *quia ipsorum sententia nunquam in aliquo legitimo Concilio, Synodo, aut alio conventu Ecclesiastico sit condemnata*: Hoc omninò à veritate est alienum. Nam sententia Remonstrantium de Electione ex præviſa fide, de Viribus liberi Arbitrij, & de Apostasia Sanctorum, tam olim antiquis temporibus, quam post Reformationem, tam extra hasce regiones, quam in ijsdem sæpius in diversis Concilijs, Synodis, alijsque legitimis Ecclesiasticis conventibus solenniter est condemnata. Constat enim ex historia Ecclesiastica, & Patrum scriptis, hanc sententiam olim in *Pelagio* fuisse condemnatum in diversis Synodis adversus ipsum eiusque discipulos habitis, ut in *Synodo Diospolitana* in Palestina circa annum 412. & paulo post in *Synodo Cathaginensi*, & in *Synodo Milevitana*, atque anno 419 in plena *Synodo Africæ Carthagine* habitæ, quæ ex 214. Episcopis constabat: ac tandem in generali *Concilio Ephesi* celebrata condemnatio errorum Pelagianorum plenè confirmata fuit. Remonstrantes quidem tam crassè non loquuntur de hisce articulis, quam olim solent Pelagiani, tamen illorum sententia si rectè inspiciatur, comperiemus eam in ipsi fundamento à Pelagianorum sententia parum, aut nihil, differre. Linguam quidem Pelagianorum mutant, sed ipsorum sententiam non relinquunt. Saltem verè non possunt diffiteri ipsorum sententiam omnino, consentire cum illorum sententia, qui olim *Semipelagiani* fuerunt appellati, quorum sententia cum Remonstrantium comparata, non tantum in sensu, sed etiam in verbis & argumentis planè consentit. Quare Remonstrantes etiam nuper sententiam suam testimonijs horum Semi pelagianorum voluerũt confirmare: Et à nonnullis quoque inter ipsos aliquando rotunc dictu

dictum fuit, *dispiciendum esse an Semipelagianismus non sit merus Christianismus.* Horum Semipelagianorum errores, etiam in hisce articulis, in diversis *Synodis* olim quoque fuerunt condemnati, & judicati nihil aliud esse quam reliquias quasdam hæresium Pelagianarum, ut in *Synodo Romana* sub Episcopo Galasio, in *Synodo Episcoporum Africæ* in Sardinia exulantium: ac postea circa annum 529. ab Ecclesiijs Gallicis in *Concilio Arausicano*, & in *Sinodo Valentina* circa annum 850. cui præter multos pios Episcopos etiam tres Galliæ Archiepiscopi Lugdunensis, Arelatensis, & Viennensis interfuerunt. Post Reformationem Remonstrantium sententia etiam in diversis Synodis & Ecclesiasticis congregationibus publicè condemnata fuit, tam intra hasce Provincias, quam extra easdem. Extra hasce regiones in *Synodo* habita *Argentinæ* adversus *Hofmannum*: In congregatione Ecclesiastica habita *Genevæ* contra *Bolsecum*: in conventu habito *Bernæ* contra *Huberum*, in convenru Archiepiscoporum, aliorumque Episcoporum *Angliæ* habito *Lambethæ*, in quo doctrina *Baronis*, quem Remonstrantes hic confitentur in ipsorum sententia stetisse, publicè fuit condemnata. Intra hasce Provincias idem factum fuit in *Synodo Nationali Middelburgensi* anno 1579, ac postea in Synodo particulari Harlemensi anno 1582, in persona *Caspari Coolhasij*. Item in *Synodo Nationali Hagiensi* anno 1586. ac postea in *Synodo Particulari Hagiensi* anno 1592, in persona *Hermanni Herberti*: ac in diversis particularibus *Synodis Ecclesiarum Hollandiæ Borealis* habitis contra *Cornelium Viggerum*, quibus accessit judicium & condemnatio *Academiæ Leydensis*, anno 1595. Hisce addi possent omnes publicæ Ecclesiarum Reformatarum Cõfessiones, quas ante allegavimus, quæ omnes summo cum consensu sententiam nostram confitentur atque approbant, ac proinde sententiam Remonstrantium rejiciunt & condemnant, uti nos parati sumus en Confessionibus illis abundè demonstrare, ubi opus fuerit, quemadmodum antea diximus. 2. Remonstrantes addunt, *Nos declarare aliquem propterea Christiana communione esse indignum, quia addictus sit sententiæ Remonstrantium: atq; hoc esse Novitatem pugnantem cum 22. quæstione Catechismi.* Quod ad hanc caussam attinet existimamus discrimen esse faciendum inter Generalem illam Communionem totius Christianitatis, quæ (proh dolor!) in multas sectas hodie discissa est, & inter Particularem Communionem, quam inter se habent Christiani ejusdem Confessionis. Nam etsi declaretur quosdam in tali stare sententia,

Vide doctissimi viri D. Ioannis Oatij cõmentarium de Pelagianis & Semipelagianis, nuper editum.

An Remõstrantes indigni communione Christiana sint, aut à nobis habeantur.

ut indigni censeantur atque habeantur pro Fratribus hujus aut illius Confessionis, eo ipso tales non statim omnino excluſos volumus ex omni Christiana Communione aut Fraternitate. Præterea discrimen quoque esse faciendum inter privatum Ecclesiæ membrum, non vocatum ad docendum, & inter Doctores Ecclesiarum, qui eisdem omne DEI consilium proponere debent. Hoc enim fieri etiam posset, in Ecclesiis Reformatis, ut membra Ecclesiæ privata addicta sententiæ alicui, quæ cum recepta doctrina pugnet, si non sit usque adeò magni momenti. & si quiete se gerant, aliquando toleremus: & tamen non posset permitti, ut qui tali sententiæ sit addictus, promoveatur ad munus docendi in Ecclesiis Reformatis, aut ut illi liceat talē sententiam publicè in ijsdem docere. Ac proinde cum inter nos & Remonstrantes controvertatur, non tamen de privatis membris Ecclesiæ, quam de ejusdem Doctoribus: ut quoque non tantum de sententia ipsa in se, quam an illa sententia in Ecclesiis Reformatis doceri debeat; debuissent Remonstrantes, hanc accusationem dilucidius & distinctius proposuisse. Quod ad privata Ecclesiæ membra attinet, ipsa omnium Ecclesiarum communis praxis manifestissimè testatur, ea nunquam propter errorem in Articulo de Prædestinatione, quem fortè vel ex infirmate, vel ex imperitia habeant, modo se quietè gerant, à communione Ecclesiæ alicubi aut unquam fuisse excluſa. Quod attinet ad Ministros, qui articulis de Prædestinatione eique annexis, in sententia Remonstrantium fuerint, omnes illi, qui antehac se quietè gesserunt, sententiam suam sibi servarunt, eamque non docuerunt neque disseminarunt, & receptæ doctrinæ non contradixerunt, illi nunquam nobis declarati fuerunt indigni communione Christiana. Sed quod attinet ad hosce Contra-Remonstrantes, qui non tantum in illa stant sententia, sed eandem publicè docent, & magna contentione propugnant, qui acerbissimis, odiosis, & calumniosis concionibus & scriptis receptæ doctrinæ quotidie contradicunt, eam condemnant, atque omnibus modis exstirpare conantur: qui insuper in multis alijs dogmatibus multo majoris momenti sentiunt & docent contra receptam doctrinam, & recusant rotundè declarare, quid sentiant de diversis crassis erroribus Socinianis, gravesque dederunt causas suspicandi, se ab ijsdem non esse plane alienos: qui ejectionibus aut excluſionibus omnium Ministrorum, qui ipsorum sententiæ non sunt addicti, ac violenta in Ecclesias irruptione, invitis Ecclesijs, publica Ministeri

passim

passim conantur occupare : & qui tam diversis illegitimis atque exorbitantibus actionibus extra & contra usitatum Ecclesiarum nostrarum Ordinem, tot difficultatibus, scandalis, dissidiis, & contentionibus causſam dederunt, an illi, sine debita culpæ deprecatione atque emendatione haberi possint pro sinceris Reformatis Doctoribus, ac pro Fratribus & symmystis eiusdē nostræ Confessionis, de eo judicabunt Ecclesiæ Reformatæ harum regionum in Synodo Nationali, quando ipsis permittetur eandē celebrare. Cæterùm Remonstrantes hic fortè regerent, esse diversas Ecclesias, & Ministros etiam nonnullos, qui se omninò à Remonstrātibus separarunt, atque eo ipso fraternitatem illis renuntiaverunt. Agnoscimus hoc in diversis Ecclesiis hic jam factū esse: sed dicimus hujus separationis ipsos Remōstrantes causſam prębuisse, quādoquidē istæ separationes iis in locis tantùm sunt institutæ, in quibus doctrina nostra ejusq; doctores, procurantib. Remōstrantibus, ex publicjs templis excludebantur: aut in quibus Remonstrantes doctrina & actionibus suis erga Ecclesias earumque doctores ita se gesserunt, omnes decori & fraternitatis limites transiliendo, ut isti Ministri Ecclesiarū cum Remonstrantibus communionē fraternā, tot tamq; diversis modis ab illis violatam, diutius sine conscientiarum læsione. atq; Ecclesiarum offensione servare non potuerint: ac proinde ad separationem procedere coacti sint, quandoquidem omnia judicia Ecclesiastica, omnesque Synodi, in quibus ejusmodi difficultates & confusiones emendari deberent, iam per novem integros annos, opera Remonstrantium cessarunt. At verò etiamsi res eo perveniret, ut Remonstrantes declarentur indigni communione fraterna Ecclesiarum Reformatarum, neque hoc novum foret, quoniam supra ostendimus *Caſparum Coolhaſium*, *Hermannum Herbertum*, & *Cornelium Viggerum* propter eandem causſam olim ab hisce Ecclesijs hac communione indignos esse declaratos. Neque etiam pugnaret cum 22. quæstione Catechismi, quæ hic producitur, & in qua docetur, *Omnia quæ Christiano homini ad salutem creditu sunt necessaria breviter comprehendi in Symbolo Apostolico, seu Articulis Catholicæ atque indubitatæ omnium Christianorum fidei.* Quid enim est quod Remonstrantes inde concludent? Videntur hanc hypothesin præsupponere, communionem fraternam nullis esse renunciandam, quam illis solis, qui errant in articulis ad salutem præcisè necessarijs.

Causſæ Separationis quarundam Ecclesiarū à Remonstrantibus.

Cui hypothesi porro superstruunt, & dicunt, quandoquidem ipsi in nullo articulo errent ad salutem præcisè necessario, quippe qui

agnoſcant omnes articulos in Symbolo expreſſos, in quo ſecundum Catechiſmum breviter comprehenditur quidquid creditu ad ſalutem eſt neceſſarium, non debere ergo illos indignos declarari fraterna communione. Reſpondemus primò huic, quam præſupponũt, hypotheſi; eam quidem de privatis Eccleſiæ membris concedi poſſe, ſed in Paſtoribus Eccleſiarum non ſemper poſſe locum habere. Nam cum in Eccleſiarum Confeſſionibus ponantur non tantùm Articuli præciſè ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſarij, ſed etiam omnes illi, qui utiles ſunt & ſerviunt propagationi gloriæ Divinæ, & veræ pietatis, ac conſolationi fidelium, neceſſe eſt ut Miniſter Verbi, qui pro fratre Confeſſionis Eccleſiæ illius, in qua Miniſterio fungitur, haberi volet, aſſentiatur non tantum articulis præciſè ad ſalutem neceſſarijs ſed etiam omnibus alijs, qui in Confeſſione Eccleſiæ illius exprimuntur, & definiuntur. Etenim articuli, quibus docetur Infantes eſſe baptizandos, Chriſtianos bona conſcientia poſſe fungi munere Magiſtratus, licere ligitimum juramentum præſtare, alijque plures, non ſunt ita præciſè ad ſalutem neceſſarij, ut ſi quis in ijs ex imperitia aut infirmitate erret, propterea à ſalute ſit excludendus: tamen ſi Miniſter verbi in Reformata Eccleſia his articulis non aſſentiretur, aut eos docere nollet, meritò declarari poſſet indignus ſeu non idoneus, ut ſit Miniſter in Eccleſijs Reformatis, aut ut pro fratre aut ſocio noſtræ Confeſſionis habeatur. Quod porrò ex Catechiſmo ab illis citatur, *Omnes articulos ad ſalutem neceſſarios in Symbolo Apoſtolico eſſe comprehenſos*, eſt verum, & à nobis libenter conceditur, modo Articuli fidei in Symbolo comprehenſi rectè explicentur atque intelligantur. Nam non in externa verborum confeſſione, ſed in veri ſenſus perceptione atque agnitione ſita eſt fides Chriſtiana. Pontifij etiam eoſdem articulos fidei nobiſcum externè profitentur, ſed conſtat illos eos non rectè illos intelligere, ac proinde dici meritò non poſſunt credere omnia, quæ Chriſtiano homini ad ſalutem creditu ſunt neceſſaria. At verò ſi ita ſe res haberet, neminem poſſe declarari indignum fraterna communione, qui Articulos fidei externè & verbis confitetur, nulli Papiſtæ, nec Sociniani, nec Anabaptiſtæ, nec hæretici quicunque qui hodie inter Chriſtianos reperiuntur, poſſent declarari fraterna communione indigni. Quod ad Remonſtrantes attinet, etſi nobiſcum etiam verba Articulorum fidei confiteantur, tamen ex ipſorum doctrina patet, eos non approbare nec credere eoſdem articulos in vero ſenſu, qui in Catechiſmo

Remonſtrãtes non credere Articulos fidei in

decia-

declaratur. Nam de DEO Patre, secundum doctrinam ipsorum, non credunt: *Eum æterno suo consilio omnia gubernare, & provisurum esse omnibus, quæ ipsorum animabus sunt necessaria.* Quæst. 26. *In æternum ipsis futurum esse benignum Patrem.* In Formula administrandæ Cœn. *Omnia non temerè aut fortuitò sed paterno ejus consilio & voluntate contingere.* Quæst. 27. *Nihil esse, quod nos ab amore ejus abstrahet. Omnes creaturas ita esse in ejus potestate, ut sine ejus arbitrio non modo nihil agere, sed ne moveri quidem possint.* Quæst. 28. De DEI Filio quoque non credunt: *Eum nobis partam salutem tueri ac conservare.* Quæst. 31. *Justitiam* DEI *postulare ut peccatum adversus summam* DEI *Majestatem admissum etiam summis, hoc est, sempiternis cùm animi tum corporis supplicijs puniatur: & propter hanc justitiam* DEI *nullo alio modo pro peccatis posse satisfieri, quam morte Filij* DEI. Quæst. 11. 40. *Dominum nostrum Iesum Christum ineffabiles angustias, cruciatus, & infernales dolores pro nobis passum fuisse, atque eo ipso nos ab angustijs & cruciatibus inferni liberasse.* Quæst. 44. *Eum maledictionem, quæ nobis incumbebat, in se recepisse.* Quæst. 39. *Cum Venturus erit ad judicandum, eum ipsos in æternam beatitudinem ad se traducturum.* Quæst. 52. De Spiritu Sancto itidem non credunt, neque confidunt: *Eum in æternum cum ipsis esse mansurum.* Quæst. 53. Non credunt etiam quod attinet ad articulum de Ecclesia: *Eos, qui viva Ecclesiæ membra sunt, in æternum viva ejusdem membra esse mansura.* Quæst. 54. De remissione peccatorum: *Deum peccatorum nunquam esse recordaturum. Remissionem peccatorum fieri propter satisfactionem Christi* Quæst. 56. *justitiam, quæ coram* DEI *judicio consistere potest, planè, perfectè absolutam, atque omni ex parte legi* DEI *congruentem esse debere.* Quæst. 62. *Solam Iesu Christi satisfactionem, justitiam, & sanctitatẽ, esse justitiã nostrã corã* DEO. Quæst. 61. *Operan ostra bona non posse esse justitiam nostram coram* DEO, *nec partem ejusdem.* Quæst. 62. De Resurrectione Carnis: *Animas eorum postquam è corporibus excesserint, vestigio ad Christum caput ipsorum assumi. Hanc ipsam carnẽ cum animabus nostris rursus esse uniendam.* Quæst. 57. De Vita æterna: *Futurum esse, ut omnes, qui initia vitæ æternæ in animis suis persentiscunt, post hanc vitam plena beatitudine sint fruituri.* Ex quibus apparet Remonstrantes, etsi articulos Fidei, quod ad verba attinet, nobiscum confiteantur, tamen eosdem, quod ad sensum attinet, nobiscum non credere, ac proinde etiam eosdem ita non declarare, quemadmo-

vero sensu, qui in Catechismo declaratur.

admodum in Catechismo nostro declarantur. Ac propterea non foret novum, etiamsi declararetur tales Doctores fraterna communione atque unitate Fidei, quæ in Reformatis Ecclesijs servatur, non esse dignos, etiamsi externè, secundum verba, Articulos Fidei confiteantur.

Decima Novitas.

Decima Novitas, quæ nobis affingitur, hæc est, *Nos Confessionem & Catechismum, quæ utraque scripta sunt humana, velle subsignari à Ministris, non tantum ut Formulas consensus, secundam primum & veterem usum, sed etiam ad testificandam sanitatem in doctrina.* Confessionem & Catechismum *scripta esse humana*, scimus, agnoscimus, & docemus tam nos, quam ipsi Remonstrantes. Nos enim solos libros veteris & Novi Testamenti, id est, sola Prophetica & Apostolica scripta, pro scriptis à DEO ita inspiratis, ut sancti DEI homines ea locuti fuerint & scripserint acti à Spiritu Sancto, qui ipsos duxit in omnem veritatem: ac proinde hæc scripta nullo errori obnoxia esse posse. Omnia verò alia scripta, præter ista, quantavis etiam sanctitate & doctrina præditi fuerint viri illi, qui ista scripserint, tamen cum scripta sint à talibus viris, qui Spiritum Sanctum tanta mensura non acceperunt, quam Prophetæ & Apostoli, & qui proinde in doctrina errare possent, erroribus quoque obnoxia esse posse, ac semper ad divina scripta Veteris & Novi Testamenti examinari debere, etiam libenter agnoscimus, & pro ejusmodi humanis scriptis etiam habemus Confessionem & Catechesin, quæ tametsi ab hominibus, qui erroribus erant obnoxij, sint conscriptæ, tamen nos in illis hactenus nullum errorem deprehendere potuimus, qui pugnet cum scriptis divinis. Remonstrantes, qui adversus hæc scripta humana perpetuò ita debacchantur, eaque apud populum conantur omnibus modis de erroribus suspecta reddere, rectè facerent, si arbitrentur se errores aliquos in ijs deprehendisse, ut hoc nobis officium præstarent, atque istos errores nobis commonstrarent. Clamitant quotidie adversus hæc scripta, quasi stupendis erroribus sint refertissima, sed eo nunquam perveniunt, ut velint illos commonstrare & demonstrare. Vtinam tam beatis nobis tandem esse liceret, utistas insignes considerationes, quas Remonstrantes (uti jam anno 1610. in prima Remonstrantia declararunt) obsignatis Epistolis ad Illustr. DD. Ordines transmiserunt, ac porrò transmittere tum temporis parati erant, tandem aliquando cernere

De autoritate & subscriptione Confessionis & Catechismi.

nere daretur, utque eædem in legitima Synodo Nationali Ecclesiarum Reformatarum, secundum DEI verbum, examinari possint. Remonstrantes hoc facilè possent præstare, si vellent: sed non audent causam suam judicio Synodi Nationalis permittere, veriti ne considerationes ipsorum ad Verbum DEI examinatæ cum eodem non posse consistere deprehendantur. Doctrinam hisce Scriptis comprehensam sufficit illis apud populum suspectam potuisse reddere, atque interim non judicant consultum, ut porrò deveniatur ad legitimum examen: ut hac ratione suspicio illa doctrinæ isti incumbat, atque ita Ecclesiæ à recepta hac doctrina magis magisque alienentur. Hæ profectò sunt artes, quæ nihil valent, neque sinceros Ecclesiarum doctores decent. Quod autem velimus *ut hisce Scriptis Ministri subscribant*, verum quidem est, sed non Novum in Ecclesijs Reformatis. Semper enim atque ubique ab ipso Reformationis initio hoc usitatum, atque in diversis Synodis Nationalibus mandatum ac statutum fuit, ut in omnibus Reformatis Ecclesijs diligenter observetur. Quandoquidem enim Scripta hæc Formulæ sunt Consensus in doctrina, qui semper inter Ministros unius Ecclesiæ, seu Religionis, esse, atque observari debet, semper in Ecclesia DEI usitatum fuit, ut omnes Doctores, ad testificandum consensum suum in Doctrina Orthodoxa, hisce Formulis, ut Verbo DEI consentientibus, subscripserint. Estque hoc summè etiam necessarium: secus enim haud foret possibile, pessimis præsertim hisce temporibus, consensum atque unitatem in pura doctrina conservare. Quando itaque Remonstrantes recusant, uti jam aliquot annis fecerunt, hisce Formulis, ut Verbo DEI consentientibus, subscribere, eo apertissimè indicant, eos non servare Consensum in doctrina cum Reformatis harum regionem Ecclesijs.

Antiquitas, Necessitas, & utilitas Subscriptionis.

At sanè res est pessimi exempli, quando in Reformatis Ecclesiis habentur doctores, qui testificari nolunt se Consensum colere in doctrina cum iisdem Ecclesiis. An unquam commodior & compendiosior via sterni possit, ad quaslibet hæreses in Ecclesias Reformatas introducendas, quam si Ministris hæc permittatur libertas, ut non teneantur declarare, aut testificari, quid de doctrina Ecclesiarum Reformatarum in Formulis Consensus expressa sentiant? Qui fieri posset, ut hæretici ulli ex Ministerio Ecclesiarum

rum arceri queant, si doctores Ecclesiarum non tenerentur sententiam suam de doctrina recepta subscriptionibus declarare? Hæc itaque magna sanè & inaudita est Novitas, cum Remonstrantes se venditantes pro Reformatis doctoribus, nolunt neque doctrinæ Reformatarum Ecclesiarum subscribere, neque etiam debitè Ecclesiis patefacere, quid adversus illam habeant. Dicunt nos velle ut hisce scriptis subscribatur, *non tantùm ut Formulis Consensus, secundum priscum & primum usum, sed etiam ad testificandam sanitatem doctrinæ*, Probare idipsum conantur ex decreto quodam Synodi particularis harum Ecclesiarum celebratæ anno 1605. Roterodami, in quo de harum Formularum subscriptione agitur. Vt autem rectè intelligamus, quomodo hæc res se habeat, sciendum est hoc ipso anno, qui secundus fuit ab adventu *Arminij* in Academiam Leydensem, iam tum comperiri cepisse Ecclesias Hollandicas, nonnullos Ministros Arminio addictos de recepta doctrina haud rectè loqui, eandem omnibus modis conari dubiam reddere, atque illi etiam nonnullis in locis contradicere; quam ob rem justæ suspicionum rationes Ecclesijs datæ sunt Ministros nonnulos à recepta Doctrina defecisse, aut deficere cepisse adeò ut non essent certæ de Orthodoxia Ministrorum suorum in Doctrina ac præsertim etiam de Orthodoxia eorum, qui recens ad Ministerium accedebant, & sub disciplina Arminij in Academia *S.* Theologiæ operam dederant. Cumque per quorundam negligentiam in diversis Classibus hæ subscriptiones istarum Formularum, quæ cum in finem fieri solent, jam annis aliquot non erant postulatæ, necessarium judicarunt Ecclesiæ, easdem subscriptiones iterum à Ministris exigere. Aliqui hic noluerunt subscribere, sed omninò recusarunt. Alij animadvertentes hanc recusationem haud bene convenire Ministro harum Ecclesiarum Reformatarum, non ausi fuerunt subscriptionem simpliciter recusare, sed diversis iniquis effugijs conati fuerunt finem harum subscriptionum eludere, atque ita subscriptionem ipsam inanem reddere. Finis ejusmodi subscriptionum duplex est: Primarius ut Ministri Ecclesiarum ijs testificentur se doctrinam Ecclesiarum Reformatarum, uti illa in istis Formulis declaratur, agnoscere consentientem *S.* Scripturæ: atque ita se Consensum colere in doctrina cum alijs Reformatis doctoribus. Secundarius, ut simul etiam promittant se velle consensum hunc in docendo etiam cum illis colere: ut ita Ecclesiæ certæ esse queant, omnes earundem Doctores, doctrinæ, quam Ecclesiæ pro sana & Scripturis consentiente doctrina agnoscunt, assentiri, & ita docend

Finis subscriptionum

docendo unitatem seu consensum servare. Secus enim impossibile est, ut schismata & confusiones ab Ecclesijs avertantur. Ministri itaque hi supradicti cum urgerentur, ut hisce Formulis utrumq; in finem subscriberent, nonnulli declarabant se quidem subscriptione manus promittere velle, non esse se publicè quidquam docturos contra doctrinam illis formulis comprehensam, sed eadem testificari nolebant, se eandem agnoscere S. Scripturis consentientem. Alij respondebant, se subscriptione manus etiam testificari velle, se hanc doctrinam agnoscere S. Scripturis consentientem, sed *quatenus cum Verbo* DEI *consentiat*, aut *acceptam in sensu Scripturis congruente*: aut cum S. Scripturis consentire, *in præcipuis fundamentis Christianæ Religionis*, interim nolentes exprimere quosnam articulos pro talibus fundamentis habeant: aut denique promittere, docturos se esse secundum Verbum DEI, & quod *secundum illud*, in hisce Formulis docetur. Hæc effugia simplicioribus aliquando videbantur rationis aliquid habere, sed cum accurate examinarentur, deprehendebantur subscriptiones illas plane inanes reddere & eludere. Subscriptionibus enim cum ejusmodi effugiis factis, non poterat obtineri primarius earundem finis, qui hic est, uti jam diximus: ut per eas Ecclesiæ certæ reddantur omnes ipsarum Doctores receptam Ecclesiarum doctrinam in Formulis Consensus expressam agnoscere S. Scripturis consentientem, ac secundùm eam sententiarum unitatem cum illis servare, ut eadem mente & sententia esse coagmentatos: quod necesse est præcedat, & quod fundamentum esse debet, si etiam idem constanter loquentur seu docebunt, ad quæ duo simul Apostolus nos adhortatur 1. Corinth. 1. 10. Omnes enim hæretici, qui hodie inter Christianos reperiuntur, etiam ipsi Sociniani, talibus subditionibus, etiam hisce nostris Formulis possent subscribere, atque idem etiam promittere, servantes interim sententiam suam: proinde possent in hisce Ecclesiis ad Ministerium ac docendi munus admitti, atq; etiam sententiam in iisdem suam proponere, si Doctores harum Ecclesiarū ulterius non obligarentur. De eo enim non quæritur, an illud quod cum DEI verbo consentit, quod sensum habet S. Scripturis congruentem, aut quod cum ijs consentit, doceri debeat: sed an doctrina recepta Ecclesiarum Reformatarū, quæ hisce Formulis breviter comprehensa est, ab omnibus harum Ecclesiarum doctoribus agnoscatur pro doctrina, quæ cum Verbo DEI consentiat, aut quæ sensum habeat Scripturis congruentem. Quare cum Doctor aliquis Ecclesiæ Reformatæ

Effugia Remonstrantium in subscriptionibus Formularum consensus.

rogatur, an agnoscat receptam earundem Ecclesiarum doctrinam cum Verbo DEI consentire, aut Formulas istas consensus sensum habere Scripturis congruentem (quod fit cum subscriptiones hæ ab illis postulantur) si hic responderet, agnosco hanc doctrinam cum Verbo DEI consentire, quatenus cum Verbo DEI consentit, aut Formulas hasce habere sensum Scripturis congruentem, acceptas in sensu Scripturis congruente, quid hoc aliud esset, quam nugari, nihil dicere, atque Ecclesiis apertè illudere? At verò si minister Ecclesiæ Reformatæ nó teneretur ulterius obligare quam ad hanc promissionem, *se docturum esse omnia, quæ consentienter* DEI *Verbo* (secundū ipsius sententiam) *in Formulis consensus docentur*, quis hæreticus idem bona conscientia non posset promittere? Quam obligationem ad unitatem in doctrina talis promissio secum ferret, si unicuique liberum esset ita docere, uti ipse arbitratur S. Scripturæ consentire? Quomodo foret nobis possibile Socinianos ullos ex Ministerio harum Ecclesiarum arcere, si Ministri hanc tantum promissionem præstantes essent admittendi, atque ad ulteriorem declarationem & promissionem non obligarentur? Si quis promitteret se docturum secundum DEI verbum & quæcunq; *eidem consentienter* in Cōcilio Tridentino decreta sunt, (quæ promissione omnes Reformati Doctores bona conscientia præstare possent) an talis statim haberi posset pro doctore, qui cōsensu coleret in doctrina cum Ecclesia Romana? Effugia itaque hæc plane tollunt finè propter quem hæ Formulæ in Ecclesiis concipiuntur atque habentur, qui est ut Ecclesiæ earū subscriptionibus certo reddantur, doctorees earundē unitatem servare & in sentiendo in docendo. Illi qui promittunt se contra doctrinam hisce Formulis comprehensam non esse publicè docturos, rectè quidem hucusque faciunt, sed nondum satisfaciunt muneri, quod postulatur sincero doctore Reformato, qui omne DEI consilium Ecclesiæ exponere debet, & non tantum in quibusdam, sed etiam in omnibus doctrinæ Reformatæ capitibus idē sentire debet cum Ecclesiis Reformatis, in quibus pro Doctore haberi & cognosci volet. Nam sub tali promissione si hæc sola posset sufficere, etiam Sociniani Ecclesias nostras facilè subreptarent. Etenim si quis addictus sententiæ Socinianorum de Deitate Christi, de ejus Satisfactione pro peccatis nostris, de Iustificatione, aut aliis magni momenti & fundamentalibus Fidei nostræ articulis, promitteret sententiam suam sibi esse servaturum, an Ecclesiis rectè prospectum foret, si tale

hab-

haberét Doctoré, à quo nunquam in fundamentalibus illis fidei ar
iculis instituerétur? Quare Ministri, qui pro Reformatis Docto-
ibus haberi volunt, non tantum promittere debent, se contra
eceptam doctrinam non esse docturos, sed etiam declarare, se il-
am in omnibus articulis Sacræ Scripturæ consentientem agnosce-
e. Hæc fuit causa cur in Synodo Roterodamensi, anno 1605. Mens decre
um propositum esset nonnullos in hisce Ecclesiis Ministros pla- ti Synodi
è recusare hisce Formulis Consensus subscribere, & nonnul- Roterodam
os supradictis effugijs subscriptionem conari eludere, consultum mensis.
e necessarium fuerit iudicatum, renovare Decretum quoddam
ynodi anno 1581 etiam Roterodami habitæ, in quo man-
atur Subscriptionem illam in Classibus à Ministris esse facien-
am atque observandam, *ut per illam non tantum unitatem in*
Doctrina, sed etiam sanitatem ejusdem testificentur, hoc est, ut
er eam testificentur, se non tantum servaturos unitatē in docendo Artic. 17.
ta ut nihil contra illas Formulas doceant, sed etiam se doctrinam
lis Formulis cōprehensam agnoscere pro sana & cū S. Scripturis
onsentiente doctrina, ut hoc modo ostendāt & *testificentur ipso-*
um sanitatem in doctrina, quando approbant receptam doctrinam
uam Ecclesiæ pro sana & cum Scripturis consentiente agnoscunt;
oc enim ab Ecclesijs præsupponitur, receptam doctrinam hisce
ormulis comprehensam, sanam & Scripturis esse consentientem
: proinde doctores harum Ecclesiarum cum hisce Formulis, ut
im Verbo DEI consentiētibus, subscribunt, eo sanitatē suam in
octrina testificari. Adeò ut ex hisce Synodi verbis concludi nullo
odo possit, istis verbis Formulas hasce constitui ut Regulam, ad
uam sanitas doctrinæ examinari debeat, sed tantum ut Regulam
cundum quam judicari possit, an doctores Ecclesiarum receptæ
næ doctrinæ assentiantur, nec ne: quod ipsum etiam verba De-
eti istius confirmant, cum ibi dicitur: *Ministrum, qui in do-*
rina purus est, nullam hac in re difficultatem moturum, ut scilicet
uritatem & sanitatem suam in doctrina, subscriptione harum
ormularum, & rotunda declaratione testificetur. Atque ita For-
ulæ istæ non constituuntur ut *Regulæ Fidei*, nec *Verbo* DEI
æquantur, quod ipsum nos apertè confitemur & docemus
nicam esse & pefectissimam Fidei regulam, ad quam solam
nitas aut veritas doctrinæ alicujus, uti quoque horum Scrip-
rum examinari debet. Ac proinde in hisce nullam nos no-
tatem docemus, quæ pugnet cum septimo confessionis no-

ſtræ articulo, quem nos plenè recipimus, ac ſecundum eunden libenter agnoſcimus: Nulla ſcripta hominum quantavis etiam ſanctitate præditorum, cum Scriptura divina eſſe comparanda In hac Synodo etiam nihil novi fuit ſtatutum, ſed tantum reno vatum, atque ut obſervetur mandatum eſſe, vetus aliquod decre tum Synodi Roterodamenſis habitæ anno 1581. quod factun fuerat cum revideretur primus articulus capitis quarti Synodi Na tionalis habitæ Dordrechti, anno 1578. hiſce verbis: *Articu lus hic non tantum ad unitatem doctrinæ, ſed etiam ad ſanitatem ejuſdem teſtificandam obſervari debet. Atque ſi aliquando mini ma etiam ſuſpicio ſit de Miniſtro quodam, malè illum ſentire de ar ticulis quibuſdam doctrinæ, Synodus ſeriò vult monitos reliquos Mi niſtros in conventu Claſſicali agant de articulis doctrinæ, ut certi ſi de orthodoxia talis Miniſtri: & Miniſter qui in doctrina purus eſ hac in re nullam movere debet difficultatem: & ſi fortè alis al quam in doctrina difficultatem habeat, hoc medio poteſt melius eri diri.* Articulus Synodi Nationalis Dordrechtanæ, de qua h mentio fit, ita ſe habet: *Ad teſtificandam in doctrina unitatem arbitramur in omnibus Belgicæ Eccleſijs, Confeſſioni Fidei* XXXVI *articulis comprehenſæ, hoc* anno 1578. *recuſæ, & Regi Philipp ante multos annos traditæ, eſſe ſubſcribendum: atque ut hoc à Mi niſtris Verbi & S. Theologiæ Profeſſoribus fieri debet, ita quoque b num fiet, ſi etiam à Senioribus fiet.* Præterea quæ veriſimiliti dinis ratio eſt, hanc Synodum, quæ mandat hic ut etiam dicto ſ ptimo Confeſſionis raticulo ſubſcribatur, ipſam ſenſiſſe humana ſcripta cũ Sacra Scriptura æquari poſſe? Adeò ut ex hiſce appare hanc affictam Novitatem nihil aliud eſſe, quam quæſitam bon hujus Synodi ſententiæ detorſionem: atque inſuper calumnia eſſe evidentiſſimam, cum dicunt nos hæc Scripta Sacræ Scriptur exæquare.

An Contra Remonſtrãtes nolint ut Formulæ conſenſus revideatur.

Hanc calumniam porrò conantur probare, atque eum in ſ nem dicunt: *Nos propterea noluiſſe, ut eadem ſcripta, uti conſu tum eſt, in Synodo Nationali reviderentur ſecundum Supremi Mi giſtratus decretum.* Hoc etiam planè à vero eſt alienum. Res to ita ſe habet. Ab anno 1586. in hiſce Regionibus impeditus fu utiliſſimus & maximè neceſſarius uſus celebrandi Synodos N tionales, quæ antea magno cum fructu atque ædificatione ſingu lis triennijs celebrari ſolebant. Eccleſiæ harum Regionum ſæpiſ quotannis ſupplicarunt Supremo harum regionum Magiſtratu ut dictæ Synodi iterùm celebrari poſſent, quandoquidem diver

paſſi

passim difficultates in Ecclesijs exortæ essent, & quotidie magis magisque exoriebantur, quibus remedium adhiberi non poterat, nisi per Synodum Nationalem. Postquam Ecclesiæ hanc supplicationē aliquot annis frustra instituissent coram consessu Illustr. DD. Ordinum Generalium unitarum Provinciarum, consultum postea visum fuit, ut hæc res prius ab Ordinibus singularum Provinciarum peteretur, ut singulis in ejus celebrationem pro se particulatim consentientibus, tanto facilius consensus ab Illustr. DD. Ordinibus Generalibus obtineri posset. Eum in finem Deputatis Synodi harum Ecclesiarum mandatum fuit, operam dare ut supplicationibus ab Illust. DD. Ordinibus Hollandiæ & VVest-Frisiæ consensum hunc impetrent: quod multis vicibus per diversos Deputatos sæpius tentatum fuit. atque inter alios per *Ioannem Vtenogardum* & *Franciscum Lansbergium*, tunc temporis Synodi Deputatos, qui anno 1596. ex consilio D. Advocati Hollandiæ, uti ipse Vtenbogardus in postrema Delfensi Synodo publicè declavit, sed non ex speciali Ecclesiarum mandato, petiverunt, ut Illust. DD. Ordinibus placeret consentire in celebrationem Synodi Nationalis eum in finem, ut in illa Synodo Confessio harum Ecclesiarum resumatur seu revideatur. Ad quam petitionem obtentus statim est consensus ad Synodi dictæ celebrationem, sed addita hac conditione, *ut in eadem Confessio Fidei Ecclesiarum Belgicarum resumatur*. Postea cum reliquarum Provinciarum consensus quoque ad hanc rem particulatim esset obtentus, Deputati Ecclesiarum anno 1605. ab Illustr. DD. Ordinibus Generalibus petierunt, ut de Consensu Provinciarum in celebratione hujus Synodi per Actum, uti vocant, seu libellum, Ecclesijs constare posset, atque ut ita porro de ejusdem convocatione quam primùm deliberatur. Deputatis supradictis responsum fuit, omnes Provinias in celebrationem Synodi Nationalis jam consensisse, & paratos esse Illust. DD. Ordines ea de re Ecclesijs libellum concedere: sed cum quædam Provincia in Consensu suo hāc Clausulam inseruisset, *ut in illa Confessio Fidei Ecclesiarum Belgicarum resumatur*, non posse Illust. DD. Ordines hunc libellum ipsis dare, sine illius Provinciæ præjudicio, nisi cum insertione illius Clausulæ, quam illa expressè addiderat. Si Ecclesijs hoc minus placeret, de novo supplicandum esse isti Provinciæ, ut Clausula ista omittatur: sed simul etiam monebantur, ut deliberarent an istud esset consultum, cum eo ipso tota Synodi celebratio facile distineri atque impediri posset. Deputati Synodi instanter admodum

petiverunt, ut Illustr. DD. Ordinibus Generalibus placeret libellum hunc Ecclesijs concedere sine insertione ejusmodi Clausulæ, cum illa facilè offensionem esset præbitura, & siniſtram in animis hominum suspicionem suscitatura, ac si ipsi Dominī Ordines judicarent necessariam esse aliquam in recepta doctrina innovationem. Sed cum impetrare id non possent, tandem anno 1606. libellum Consensus acceperunt isto modo conceptum, uti Illustr. DD. Ordinibus placuerat, cum insertione dictæ Clausulæ, atque eum statim ad Ecclesias singularum Provinciarum miserunt, declarantes simul, quid ab ipsis esset præstitum, & quomodo supplicaverint, ut libellum consensus obtinere possint sine tali clausula, quæ ab una Provincia primùm erat inserta. Reliquæ Provinciæ pleræque omnes judicarunt non esse consultum ut Clausula ista literis convocationis Synodi insereretur, atque id ipsum Illustr. DD. Ordinibus Generalibus significandum duxerunt. Synodus etiam Ecclesiarū Hollandiæ Australis eodem anno habita Gorinchemij statuit: *Supplicandum esse Illustr. DD. Ordinibus Generalibus, ut ijsdem placeat verba Revisionis Confes. sionis & Catechismi (quamvis Ecclesiæ intelligant in Synodo Generali Confessionem secundum usitatum modum revideri & recognosci debere) emollire, aliaque idonea & minus offensionibus obnoxia verba in literis Convocationis Synodi Generalis ad omnes singularum Provinciarum Ecclesias ponere, ut adversarijs nulla occasio aliquid innovandi, quasi ipsi de doctrina nostra dubitemus, atque infirmis nulla suspicionis siniſtræ aut offendiculi causa præbeatur.* Postea anno sequenti Hagæ celebratus est Conventus quorundam Ministrorum ab Illust. DD. Ordinibus Generalibus convocatorum eum in finem, ut ipsis consilium darent de Modo habendæ Synodi Nationalis: in quo conventu de hac Revisione quoque actum fuit, & à Ministris nostræ sententiæ declaratum fuit Revisionem hanc fieri in Synodo quidem posse, sed addiderunt etiam supplicandum esse Illustr. DD. Ordinibus Generalibus, ut Clausula illa, quæ offensionibus obnoxia est, in literis Convocationis omitti possit, quod ipsum etiam multis inter illos ab Ordinibus Provinciarum suarum, quibus missi erant, disertè mandatum fuerat. Adeò ut ex hisce appareat, unde hæc Clausula originem suam habuerit, nosque ipsam horum Scriptorum Revisionem non improbare. Sed de hac Revisione duplex inter nos & Remonstrantes agitata fuit controversia. Prima fuit de insertione hujus Clausulæ in literis Convocatio-

vocatio

vocationis Synodi Nationalis, de qua nos judicabamus consultius esse, quò omnibus offensionibus & pravis suspicionibus occurratur, ut illa omitteretur, atque ejus loco usurparentur generalia quædam, & minus offensionibus obnoxia verba, quæ etiam à nobis expressa sunt in quadam Remonstrantia, seu libello supplice Illustr. DD. Ordinibus Generalibus eum in finem tradito, nimirum ut convocatio Synodi fiat eum in finem: *ut Orthodoxa doctrina, & rectus in regimine Ecclesiastico Ordo unanimiter observentur & conserventur, omnesq; difficultates, quæ aut in Doctrina aut in Ordine deprehendentur, idoneis & debitis medijs tollantur.* Secunda fuit de Modo hujus Revisionis. Remonstrantes volunt, ut hunc in modum hæc scripta revideantur, ut non sit considerandum amplius, quid antehac hic doctum fuerit, sed quid jam porro docendum erit: Eos qui adversus receptam doctrinam aliquid essent proposituri, ipsos de his quæ proponunt etiam debere judicare: quod non tantum omni juri atque æquitati repugnat, ut quis sit judex in causa propria, seu judex & actor simul, sed etiam praxi Apostolicæ Ecclesiæ, in qua Prophetæ duo aut tres loquebantur, & *reliqui dijudicabant*: & Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciebantur. 1. Corinth. 14. 29. 32. Nos contra asserimus Revisionem debere fieri *secundum usitatum modum*, uti insertè in dicta Synodo Gorinchemiensi statutum fuit. Modus videndi Confessionem, qui antehac in Synodis Nationalibus usitatus fuit, hic erat. Vbi Synodus convenerat, primùm semper de Doctrina fuit actum: Confessio prælecta fuit Articulatim, ac post lectionem singulorum Articulorum rogatum fuit, an in Provincia aliqua super isto Articulo aliquæ essent motæ aut moverentur difficultates. Si nemo se manifestaret, habitus fuit iste Articulus pro approbato ab omnibus Ecclesijs, atque ita ad reliquos progrediebantur eodem modo. Si verò quis se manifestaret, qui adversus hunc aut illum Articulum fortè quid haberet, ille auditus fuit, rogatusque ut proponeret quid haberet, & quænam essent ipsius rationes, quæ ubi plenè fuerunt propositæ, reliqui fratres in Synodo congregati rationes hasce in timore Domini ad amussim Verbi divini accuratè examinabant, ac judicium suum tandem de ijs pronuntiabant. Si rationes ejus deprehendentur cũ Verbo DEI cõsentire, Articulus mutabatur, qui prius non rectè fuerat conceptus, sin vero cõtra, rationes illæ judicarẽtur. a Verbo DEI non esse fundatæ, Articulus non mutabatur,

qui

quiprius rectè constitutus fuerat. Adversus hunc usitatum Revidendi modum nos planè nihil habemus, sed arbitramur hoc debere esse primum & præcipuum Synodi Nationalis opus. Adeò ut manifesta sit calumnia, cum Remonstrantes dicunt nos nolle ut hæc Scripta revideantur, ac multo adhuc major atque atrocior, cum dicunt propterea nos hoc nolle, quia hæc Scripta Verbo divino exæquemus.

Undecima & postrema Novitas

Undecima & postrema Novitas, quam nobis Remonstrantes objiciunt hæc est: *Nos non agnoscere Supremo Magistratui Christiano competere summam Autoritatem atque inspectionem in publicis Ecclesiasticis rebus, sub* DEI *Verbo, & secundum illud. Nosq; ei sententiæ aperté nos opponere.* Quod dicunt esse Novitatem, *quoniam hæc Autoritas Supremo Magistratui Christiano in omnibus Reformatis Regnis, Principatibus & Rebuspublicis attribuitur*

De Autoritate Supremi Magistratus Christiani in rebus Ecclesiasticis.

Quod hanc Autoritatem Supremo Magistratui Christiano non attribuamus, quod nos illi aperté opponamus, & quod nos (ut in initio hujus Remonstrantiæ dicunt) conemur Legitimam & Christianam Autoritatem Illustr. D D. Ordinum in rebus Ecclesiasticis penitùs opprimere, est accusatio quam injustissima & calumnia longè atrocissima, adversus quam coram DEO & Supremo Magistratu nostro, protestamur de summa, qua hic Remonstrantibus afficimur, injuria. Remonstrantes causæ suæ bonitati diffidentes, videntur nullis aliis mediis eam labascentem fulcire posse, quam coactiva Magistratuum potestate, quas ut callidè in partes suas pertrahant, quia norunt Magistratus meritò Autoritatem suam cum zelo diligere & tueri, quippe sine qua Respublicæ consistere nequeunt, existimarùt se nullo commodiori medio Magistratus posse à nobis abalienare, & adversus nos concitare, & in ipsorum partes pertrahere, quam ut quotidie illis imprimant & persuadeant, nos legitimam illorum autoritatem opprimere. Hæc est quotidiana ipsorum cantilena, quam ad aures Magistratuum quotidiè occinunt; hisce accusationibus scripta ipsorum redundant, atque eum in finem integros conscripserunt libros ejusmodi calumniis & mendaciis refertos. Quamvis autem omnes nostræ actiones, omniaque scripta nostra contrarium apertè doceant, omnesque Magistratus in omnibus illis locis, ubi doctrina nostra protegitur, aperta nostræ innocentiæ in hac causa dent testimonia, declarantes unanimi consensu à nobis nullam unquam ipsis causam fuisse datam, cur in hac re de nobis justè conqueri quidquam possint: tamen quia hæc calumnia à Remonstran-

monstrantibus tanta cum animi confidentia quotidie nobis impingitur, ut eadem apud nonnullos Magistratus fidem invenisse videatur, breviter declarabimus quid sit de toto hoc negotio, & quid nos de eo sentiamus, doceamus, & faciamus,

Ita sentimus, Ecclesiæ Christi in hisce terris per se consideratæ, cum non subest protectioni Magistratus Christiani, à Domino nostro Iesu Christo datam esse potestatem atque autoritatem in omnibus, quæ utilia ac necessaria sunt ad ædificationem, disponendi secundum DEI Verbum, tam in iis, quæ ad doctrinam, quam quæ ad Regimen Ecclesiæ pertinent: ac potestatē etiam si datam, ut illa ab omnibus membris Ecclesiæ observari faciat per Disciplinam Ecclesiasticam. Sed cum DEVS hanc gratiam Ecclesiæ largitur, ut illi donet pios Christianos Magistratus, qui ut Altores, eam protegunt & defendunt, quique in ditionibus suis veræ Christianæ Religionis exercitium publicum instituunt, atque illud protegunt, etsi existimemus hosce Christianos Magistratus Ecclesiæ non dari, ut tollant aut infringant deitam autoritatem, quam Christus Ecclesiæ suæ dedit, sed potius eam confirment & tueantur, agnoscimus tamen Christiano Magistratui Supremo nihilominus competere sub Dei Verbo, & secundum illud, summam autoritatem & inspectionem, in omnibus publicis Ecclesiasticis rebus. Cum enim Ecclesiæ per Christianos Magistratus id consequantur, ut quæ antea fuerunt Ecclesiæ clandestinæ, nunc fiant Publicæ Ecclesiæ, quæ sub illorum protectione atque autoritate Religionem suam publicè exercere possint, atq; in hoc exercitio protegantur, libenter agnoscimus quidquid ad publicum spectat, quâ publicum, dependere ab Autoritate Supremi Magistratus Christiani, adeò quidem ut etiam existimemus in publicis Ecclesiis nullam doctrinam doceri posse, neque ullum Ordinem observari posse, neque ullas Ecclesiasticas constitutiones vim ac vigorem Legum publicarum in Ecclesia habere posse, sine approbatione, consensu, ac autoritate Supremi Christiani Magistratus, qui easdem Ecclesias publicè protegit. In Confessione nostra de autoritate Supremi Magistratus Christiani in rebus Ecclesiasticis hæc profitemur: *Supremi Magistratus Christiani officium esse non tantùm politiæ civilis curam gerere, verùm etiam operam dare ut sacrum Ministerium conservetur, omnis idololatria & adulterinus Dei cultus è medio tollatur, Regnum Antichristi diruatur, Christi verò regnum propagetur: denique efficere ut sacrum Euangelij Verbum ubique prædicetur, ut singuli purè*

Sententia Contra Remonstrantium.

Artic 36.

Deum colere & venerari ex præscripto Verbi ipsius liberè possint. Huic Confessioni ut Verbo DEI consentienti nos omnes manibus nostris subscripsimus, eoque abundè significamus nos etiam Supremo Magistratui attribuere tantam Autoritatem, quanta in ullis Reformatis Regnis,& Rebuspublicis secundum Verbum DEI attribuitur. Cum enim duplex sit bonum subditorum,Civile seu Corporale quod ad hanc vitam ejusque Bona spectat : & Spirituale quod ad vitam æternam & salutem animarū pertinet, agnoscimus[hic disertè, Supremum Christianum Magistratum à Deo suo in loco hic esse collocatum, ut supremam habeat utriusq huius boni inspectionē,ut utramque Subditis suis procuret, u non tantumhic ipsis bene sit,sed etiam post hanc vitā æterna beatitudine fruatur. Ac proinde officium illius esse non tantum curam gerere politiæ civilis,quà corporale & civile bonū Subditorū procuratur: sed etiam operam dare ut S.Ministerium conservetur,quo bonū ipsorum spirituale & salus animarū procutetur: Curā quoq debere gerere ut subditi sub ipsorū gubernatione vitā degant tranquillam& quietā non tantum in civili honestate,sed etiam in omni pietate. Adeò ut toto corde agnoscamus Supremum Christianum Magistratum à Deo esse cōstitutum,ut sit custos utriusque legis d vinæ Tabulæ,non tantum secundæ,in qua amor proximi & justitia inter homines mandatur,sed etiam primæ,in qua amor & cultus Dei præscribitur. Agnoscimus hic porrò in Confessione nostra officium Supremi Magistratus circa cultum Divinum esse,ut ipsorum autoritate primò omnis Idololatria & adulterinus DEI cultus è medio toliatur: ac secundò ut contra verus DEI cultus ipsorum autoritate stabiliatur,& protegatur,& Regnum Iesu Christi propagetur:atque hunc in finem efficere debere ut Verbum Euangelij passim in ditionibus suis publicè & sincerè prædicetur, omnemque regiminis Ecclesiastici Ordinem in Ecclesiis suis debe autoritate sua stabilire,atq; efficere,ut in Ecclesiis observetur. Nunquam nobis ex ulla Supremi Magistatus nostri declaratione innotuit,cum existimare majorem autoritem ipsis deberi, aut velle major ipsis asscribatur,quam quæ à nobis hic agnoscitur. Et tamen quotidie traducimur, nos conari,ut legitimam Magistratui Supremi in rebus Ecclesiasticis autoritatem diminuamus. Illud quidem verum est,nos Magistratibus Supremis nonasscribere absolutam aliquam circa cultum DEI & res Ecclesiasticas,authoritatem qua liceat illis, prout libuerit, quaslibet in Ecclesiam DEI

doct

doctrinas introducere, aut quaslibet constitutiones Ecclesiasticas n illis observari mandare, sed hanc Autoritatem ipsorum. (uti ipsi juoque Remonstrantes agnoscunt, omnesque sinceri Magistratus Christiani non diffitebuntur) semper Verbo DEI subjici debere, deò ut non liceat illis mandare, ut aliqua doctrina prædicetur Scripturis non consentanea, aut Ordo aliquis observetur in Ecclesijs, qui cum Verbo DEI non congruit. Agnoscimus enim in Ecclesia tantum unum absolutum Legislatorem, qui potest servare & perdere. Iacob. 4. 12. Et unus est Supremus Doctor noster, Dominus Iesus Christus. Matth. 23. 10. cujus Supremi Magistratus intMinistri, sequitur eos non habere absolutam potestatem seu utoritatem quidlibet in Ecclesia statuendi, sed tantum illud quod Dominus ipsorum mandavit ac præscripsit. Quare cum hac in re intopèrè interfit tum Magistratuum, tum imprimis subditorum uam Doctrinam, aut quem Ordinem in Ecclesias autoritate sua ntroducant, necesse quoque est ut, dum hanc autoritatem exerent, cum magna animi sollicitudine, & exacta rerum notoria proedant secundum Verbum DEI, ne conscientias suas lædant & e autoritate sua, quam DEVS illis concessit ad Ecclesiæ ipsius rotectionem, ad ejusdem detrimentum & destructionem abutanr. Ac proinde arbitramur omnes Supremos Magistratus, qui octrinam aliquam vel Ordinem in Ecclesias autoritate sua introucere volunt, si conscientijs suis debitè satisfacient, debere ad exmplum omnium piorum, & Christianorum Imperatorum, Reum, & Principum, non tantum ipsos S. Scripturam diligentissiè toto vitæ tempore scrutari, sed etiam super hac re prius cognoere judicia Ecclesiarũ suarum, quibus ut Altores præsunt. Quare uoties contoversia incidit de Doctrina, aut de Ordine, quæ in pulicis Ecclesiis sit docenda, & quis in ijsdem sit observandus, eximamus Supremum Magistratum Christianum in tanti momenegotio, non debere suum tantum unius iudicium sequi, aut iam paucorum tantum Theologorum, qui Ecclesias comnunes non possunt repræsentare, & qui etiam aliquando Suremum Magistratum pessimè possent seducere: sed debere Ecclesiis suis mandare, ut ipsæ, quippe qui huius rei optimam haeant notitiam, maximè idoneos, pios, pacificos, & in Sacris iteris versatos Doctores Ecclesiarum mittere & deputare vent, qui sub autoritate Supremi Magistratus legitimè conveientes, causam totam in timore Domini secundum DEI

verbum accuratè in Conventu illo examinent & tandem declarent, quid de illa secundum DEI Verbum sit statuendum. Hoc judicium Ecclesiarum ita in legitimo Conventu Ecclesiastico, seu Synodo, formatum Supremus Christianus Magistratus, si officio & Conscientiæ satisfacere velit, non debet temerè aut præterire, aut contemnere, quando in rebus Ecclesiasticis aliquid statuere velit: Nisi fortè temporibus extraordinariæ Ecclesiarum Reformationis, quando illæ ab Orthodoxa doctrina fortè cunctæ defecerint: nam hoc casu ab illis Ecclesiis sanum judicium expectari non potest.

An Cõtra-Remonstrãtes Supremos Magistratus faciant cæcos executores Ecclesiasticorum decretorum.

Atque hac ratione legitima Supremi Magistratus Autoritas tam parùm imminuitur, quam imminueretur si idem Magistratus volens in ditionibus suis leges aliquas statuere ad justitiæ administrationem spectantes, prius judicia Curiarum supremarum super hac re exploraret & cognosceret. Neque enim volumus, ut Magistratus Supremus huic Ecclesiastico judicio ita sit alligatus, ut quasi cæci debeant esse executores ejus, quod in conventibus Ecclesiasticis statutum sit, uti in Papatu fit, & quod nobis Remonstrantibus per calumniam insignem affingitur, quasi & nos conemur Supremos Magistratus statuere cæcos decretorum nostrorum Ecclesiasticorum executores: sed existimamus quando hæ Ecclesiarum Synodi sub autoritate supremi Magistratus convenerunt, debere etiam Supremum Magistratum, vel ipsum vel per Legatos seu Deputatos suos, hisce Synodis interesse, atque autoritate sua earundem actiones ita dirigere, ut examen causæ & judicium de eadem legitimè & debitè secundum Verbum DEI instituantur. Ac quando Ecclesiæ ita judicium suum formarunt agnoscimus etiam illud nondum vim & vigorem Legis publicæ posse habere, neque in Ecclesias publicas introduci posse, nisi illud prius Supremus Magistratus Christianus ἐπικρίσει sua approbet, autoritate sua stabiliat, atque observari mandet. Atque hoc modo olim in rebus Ecclesiasticis egerunt omnes Christiani Imperatores & Reges, & nunquam quisquam inter illos existimavit, hac ratione autoritatem suam fuisse imminutam. Ac tantum abest ut eo Supremi Christiani Magistratus autoritas in rebus Ecclesiasticis imminuatur, ut arbitremur eam eo magis magisque constabiliri. Nam cum Christianus Magistratus hoc modo agit isto medio in animo suo etiam magis magisque certus redditur, se bonam tueri causam, & Ecclesias mandatis suis obtemperaturas utpote quæ prius in illarum conventibus Verbo divino consentient

ientia fuerunt judicata. Secus facilè contingeret, ut quando Magistratus suo unius judicio aliquid statuerit, non auditis Ecclesiarum judiciis, Ecclesiæ hæc statuta accipientes judicent se bona conscientia talibus Statutis non posse obtemperare, atque hac ratione haud parum Magistratus Autoritas infirmaretur seu infringeretur, cum aliquid temerè statuerit, quod postea sine Ecclesiarum ruina executioni mandari non possit.

Quod attinet ad Inferiores seu subalternos Magistratus, existimamus eos non habere plus autoritatis in rebus Ecclesiasticis, quam quæ ipsis legibus & statutis Supremi Magistratus, sub quo collocati sunt, conceditur. Ac proinde tam eosdem se intra Vocationis suæ limites continere debere, quam debent personæ Ecclesiasticæ: ut omnes confusiones è Rebuspublicis & Ecclesiis arceantur atque exterminentur. Quare nec approbare possumus quando Inferiores Magistratus sibi arrogant, aut moliuntur novum aliquem Ordinem, seu novas quasquam Leges in Ecclesias introducere, quæ à Supremo Magistratu nondum sint decretæ neque stabilitæ. Neque eo imminuimus autoritatem Inferiorum Magistratuum, cum notissimũ sit potestatẽ Νομοθετικὴν seu Leges stabiliendi, tam in Ecclesia, quam in Politia, non Inferioribus Magistratibus, sed tantùm Supremo Magistratui competere, à quo inferiores, hasce Leges accipere debent. Atque hæc in summa nostra sententia est de Autoritate Magistratus Christiani in publicis ecclesiasticis rebus. Vnde manifestissimè patet Remonstrantes immam nobis injuriam facere, cum nos accusant & calumniatur, quod legitimam Supremi Magistratus Christiani in publicis ecclesiasticis rebus autoritatem non agnoscamus, sed illi nos opprimamus, eamque conemur opprimere. Cujus impudentissimæ Calumniæ Remonstrantes aliquando rationem reddituri sunt ei, qui omnia justè erit judicaturus, cui nostram innocentiam vindictam commendamus. Remonstrantes hic nihil planè producunt, quo hanc calumniam probent, nisi quod videantur præcedentibus hoc velle probare, quoniam nos Decreta Illust. D. Ordinum de Tolerantia & moderatione servanda in quibus illis Articulis admittere nolumus. Nos hic brevibus respondemus, notum esse omnibus, etiam ex publicis Scriptis, hæc Decreta à Supremo harum Regionum Magistratu, secundum constitutiones harum Regionum, nondum planè esse statuta aut omnibus Ordinibus approbata, ac propterea pro Decretis Supremi Magistratus nostri nondum haberi. Præterea intelligere

Autoritas Inferiorum Magistratuum in rebus Ecclesiasticis.

De Decretis Tolerãtiæ.

non possumus quomodo hæc Decreta spectent ad Tolerantiam aut Moderationem, sed potius existimamus ea spectare ad condemnationem sententiæ nostræ, quam condemnationem proinde nos ipsi non possumus approbare. Præsertim verò quia etiam arbitramur in illis nobis mandari, ut doceamus & populo infigamus, quoties ita ferret occasio, sententiam Remonstrantium de conditionata & Vniversali Electione omnium eorum, qui externè vocantur: quam nos non approbamus. Existimamus autem omnes æquos homines hoc nobiscum sentire, honestum Verbi Divini Ministrum bona conscientia non posse in se recipere, seu promittere, se docturum esse Doctrinam seu Sententiam aliquam, cui ipse in animo suo non assentitur. Quare ea probari nequaquam potest, nos Autoritatem Supremi Magistratus velle imminuere, quando quam humillimè supplicamus ne gravemur ea re, quam intelligimus nos bona conscienti non posse præstare. Neque etiam, nos Decreta Illustr. DD Ordinum rejicere, cum illa nondum plenè sint statuta ac stabilita.

Ex hisce omnibus confidimus omnes illos, qui partium studio non abripiuntur, perspicuè intellexisse Remonstrantes injustè nobis Novitates in Doctrina aut Ordine Ecclesiarum affingere, & seipsos frustra à Novitatum introductione excusare. Dicunt *plures adhuc esse Novitates*, quæ à nobis doceantur, sed cum hæ ipsæ, quas ut præcipuas voluerunt producere, tam parùm fundamenti habeant, & tam calumniosè nobis affingantur ex eo facilè colligi potest, reliquas multo minoris momenti, & multo deterioris materiæ esse.

Duæ Petitiones Remonstrantium.

In Conclusione Duo petunt Remonstrantes. Primum est *ut Illustrissimi DD. Ordines non velint credere, eos Novitates docere in hisce Ecclesijs: sed Remonstrantes habere pro ijs, qui omnibus modis servant & servare cupiunt Consensum cum Sacra Scriptura, cum primitiva Orthodoxa Christiana Ecclesia, ac simul etiam cum primo fundamento Reformationis Christianæ in hisce regionibus receptæ.* Hæc petitio admodum est iniqua, quia Illustrissimi DD. Ordines hoc modo Remonstrantes habere pro talibus, quales non sunt. Probavimus enim supra, & plenius idem adhuc probare parati sumus, etiam sententiam sua in quinque illis suis Articulis comprehensam Novitatem esse Ecclesijs nostris Reformatis, eamque discrepare à Sacra Scriptura

1. Ne habeantur pro Novatoribus.

ptura, à primitiva Orthodoxa Ecclesia, & à doctrina Christianæ Reformationis in hisce regionibus receptæ. Præterea notissimum quoque est à multis Ecclesiarum in hac regione Doctoribus Remonstrantium sententiæ addictis, præter quinque illos Articulos, doceri ac disseminari diversa alia dogmata, quæ certè optimo jure Novitates in Ecclesijs Reformatis appellari possunt, & quæ non tantum cum Sacra Scriptura, sed etiam cum unanimi Consensu omnium, tam Veterum quam recentiorum, orthodoxarum Christianarum Ecclesiarum, manifestè pugnant. Quod ut constet verum esse, nos hic ex multis pauca ejusmodi dogmata producemus, parati ex publicis ipsorum Scriptis omnia hæc clarè & plenè probare.

Aliæ Novitates, quæ præter quinque Articulos, à Ministris Remonstrantium sententiæ addictis contra receptam doctrinam docentur in Hollandia.

In *primo Confessionis nostræ articulo* docetur, Essentiam Dei esse Spiritualem, Simplicem, & Invisibilem. Contra docet *Vorstius*,

Contra primum Confessionis Articulum.

1. *Deo Corpus attribui posse.*

De Natura DEI.

2. *In* DEO *esse accidentia.*

3. *In* DEO *compositionem locum habere posse.*

4. *Deum externa oculorum visione cerni posse.*

Idem etiam docetur, DEI essentiam esse infinitam. Et in catechesi quæst. 48. Deitatem esse ubique præsentem. Contra docent *Vorstius & Slatius*,

5. *Deum non esse infinitum, neque omnipræsentem, secundum essentiam, sed tantum secundum virtutem.*

Item: DEVM esse perfectè Sapientem. Contra docet *Vorstius*,

6. DEVM *omnia & singula quæ nunc in mundo fiunt non prescivisse certa visionis præscientia.*

7. *Deum quædam per discursum scire.*

8. *Deum quædam suspicari.*

Item, Deum esse perfectè justum: quod plenius docetur in Catechismo, quæst. 11. & 16. Iustitiam DEI postulare, ut peccata æternis pœnis in corpore & anima puniantur. Contra docet *Vorstius & Slatius.*

9. *In* DEO *non esse essentialem justitiam, quæ omninò postulat pœnam propter peccata: sed* DEVM *peccata posse impunita dimittere.*

Item:

Item: Deum esse immutabilem. Contra docet *Vorstius.*

10. *Voluntatem Dei aliquo modo esse mutabilem.*

Hæc omnia manifestæ sunt Novitates in nostris Ecclesiis, atqu omnes hæ statim in initio Confessionis contra primum & unun Articulum inveniuntur & ab illis docentur.

Contra 2. Articul.

In *secundo* Articulo docetur: Deum posse cognosci ex Creation & Gubernatione totius mundi. Contra docet *Vorstius.*

Contra 3. Artic. De S. Scriptura.

11. *Deum natura ex rebus creatis cognosci non posse.* In *Tert* Articulo docetur: Scripta Veteris & Novi Testamenti sancta & di vina Scripta esse, quæ sancti DEI viri elocuti sunt divino affla Spiritu. Contra docet *Vorstius.*

12. *Scriptores horum Scriptorum in nonnullis potuisse errar*

Nonnulli Remonstrantes etiam *dubitant de αὐτοπιστίᾳ* Sacr *Scripturæ.*

Contra 8. Artic. De SS. Trinitate.

In *Octavo* Articulo docetur, Deum qui essentia unus est, revera æterno distinctum in tres Personas incommunicabilibus propri tatibus distinctas, nempe in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctu Contra docet *Vorstius,*

13. *In Deo esse tres res, si non sint plures, quarum singulæ sua peculiarem essentiam habent.*

Contra 10. Artic. De Deitate Filij.

In *Decimo* Articulo docetur: Iesum Christum esse verum, æt num Deum, & Omnipotentem. Contra dicunt quidam ex R monstrantibus.

14. *Nullum esse in S. Scriptura irrefutabile argumentum, q æterna Deitas Iesu Christi probari possit.*

Item, Christum secundum divinam naturam suam unigenitu esse Filium DEI, ab æterno genitum. Contra docet *Vorstius.*

15. *Christum propterea unigenitũ Dei Filium appellari, quia virgine sit natus, & ex mortuis resurrexerit.*

Item, Deitatem Christi probari posse ex eo quod Scriptura di Mundum & omnia ab ipso creata esse. Iohan. 1, 3. Col, 1. Hebr. 1. 2- contra docet *Vorstius.*

16. *Deitatem Christi ex Creatione mundi non posse solidè prob ri, quia* DEVS *etiam creaturæ hanc virtutem communicare posset per eam Mundum condat.*

Contra 11. Artic. De Deitate Spiritus, Sancti.

In *undecimo* Articulo docetur, Spiritum Sanctum cum Patr Filio esse verum & æternum Deum. Contra docet *Slatius.*

17. *Spiritum Dei esse virtutem, quam Deus à se diffudit, c incepit creare; ac tum eum cepisse creare, cum cepit spirare.*

In *Decimo* tertio Articulo docetur: In hoc mundo nihil fieri

De præordinatione: seu ut in Catechismo docetur, quæst. 26. ine ejus æterno Consilio & Providentia. Contra docent *Vorstius* & *Arminius*.

Contra 13. Artic. De Providentia Dei.

18. *Quædam fieri sine Dei præordinatione & decreto: et multa venire, de quibus Deus certò non decreverat, an essent eventura, ec ne.*

tem, Respectu Providentiæ divinæ nihil casu aut fortuitò evenire osse. Contra docent *Arminius, Vorstius, & Episcopius.*

19. *Illa quæ in se sunt contingentia, non posse dici, respectu Provi-entiæ* Dei, *ejusque præordinationis, necessariò fieri.*

em, *Deum non esse autorem neque reum malorum, quæ in hoc mun- accidunt.* contra docet *Arminius.*

20. *Deum creaturæ non omnino in malo obdurato, & actum, quia ccato junctus sit, patrare nolenti, sæpius incitamenta & irritamen- ad illum patrandum obiecere.*

In *Decimo quarto* Articulo docetur: Deum hominem creasse num, justum, & sanctum. Contra docet *Arminius.*

Contra 14. Artic. De creatione hominis ad imaginē Dei.

21. *In homine ante lapsum fuisse inclinationem ad peccandum, t non ita vehementem æque & inordinatam, ut nunc est.*

m, Totam hominis naturam per peccatum corruptam esse. Homem in omnibus vijs suis impium, perversum & corruptum es- In ipso nec mentem, nec voluntatem esse intellectui & volun- Dei congruentem, nisi quam Christus in ipso sit operatus. m plenius explicatur in quæstione 5. 8. Hominem ita corrum esse, ut natura propensus sit ad odium Dei & proximi: & ion sit idoneus ad ullum bonum, & proclivis ad omne ma-. Contra docent Remonstrantes,

De corruptione hominis.

2. *In morte spirituali, à voluntate hominis non fuisse separata spiritualia, sed in homine remansisse post lapsum libertatem illam onum & ad malum, cum qua creatus fuit.* Idem etiam docet *Ver-; Hominem natura non esse in intellectu occæcatum, neque in vo- te ad malum necessario propensum: Hominem natura verum im posse intelligere, & opera facere quæ non sint mala. Illum non sariò odisse Deum & proximum. Hominem non esse natum cum tentia ut possit salvus fieri.*

Decimo quinto. Articulo docetur: Peccatum originale esse to- naturæ nostræ corruptionem, & hæreditarium vitium. Con- locent *Arminius, Ioannes Arnoldi* & alij Remonstrantes.

Contra 15. Artic. De Peccato Originali.

Pecca um originis non esse peccatum: esse tantum carentiam ria originalis.

Item: Infantes peccato originis in utero matris esse infectos. Contra docet *Venator*.

24. *Infantes nasci in eodem statu, in quo Adamus creatus fu. Omnes homines ab utero matris non esse vitiatos in anima & corpore: & neminem malum nasci.*

Item docetur ibidem: Peccatum originis per inobedientiam Adami in totum genus humanum esse propagatum, Aut, ut in Catechismo latius declaratur: Naturam nostram corruptam esse per lapsu & inobedientia primorum parentum Adami & Evæ in paradiso, quo natura nostra ita sit vitiata, ut omnes in peccatis concipiamur & nascamur. Contra docet *Venator*,.

25. *Deum Adamum & Evam non collocasse ut radicem totius generis humani, eorumque posteros non esse reos mali, quod hi duo homines perpetrarunt. Hos primos parentes nostros pro posteris suis accepta dona non potuisse amittere: omnes homines propter lapsum Adami à conceptione, atque ab utero matris, non esse maledictioni obnoxios, neque in anima vitiatos.*

Idem, *Peccatum originis tam turpe atque execrabile coram Deo ut ad universi generis humani condemnationem sufficiat.* Contra docent *Arminius & Venator.*

26. *Peccatum originis non facere nos reos mortis, & condemnationem non mereri.*

Item, Peccatū originis non esse imitationē. Contra docet *Venator*.

27 *Adamum propterea posteris suis fuisse causſam peccati, & ipsis speculum exemplum, & antecessor in peccando fuit.*

Contra 19. Articul. De Vnione Personali.

In *Decimo nono* Articulo docetur, Divinam naturam Filij Dei in conceptione Personaliter fuisse unitam cum assumpta humana natura, ita ut duæ Naturæ in unam Personam sint unitæ. Contra docet *Vorstius*,

28. *Hanc unionem consistere in influxu quodam divino virtutis in humanam Christi naturam.*

Contra 20. Artic. De Satisfactione Christi.

In *vicesimo* Articulo docetur: DEVM, qui perfectè justus est, ut nos salvos faciat, justitiam suam declarasse adversus filium suum, in quem nostra peccata conjecerat, & quem misit ut assumeret naturam humanam, ut in illa puniret peccata nostra per eius acerbā passionem & mortem. Quod clarius docetur in Catechismo, quæst. 12. & 40. DEVM velle ut justitiæ suæ satisfiat, ac propterea non esse aliud medium, ut ab æterna pæna liberemur & reconciliemur, quam ut justitiæ DEI satisfiat per Mediatorem nostrum Iesum Christum: atque huic justitiæ DEI non posse aliter satisfieri, quā per mortem Filii DEI. Contra docet *Vorstius*

29. *Ex scripturis aliam Christi propeccatis nostris Satisfactionem extrui non posse, quam quod Christus nobis peccatoribus annunciavit & multis modis confirmavit, hanc Dei liberalitatem, quod Deus decreverit resipiscentibus peccata sua condonare, non accepta pro ijs plena satisfactione: Atque ut huius gratiæ Dei participes nos efficere posset, nos à peccatis avertit. Absolutam totius debiti nostri solutionem non posse consistere cum liberali illa & munifica peccatorum condonatione, quam S. literæ passim Deo tribuunt, etiam cum de Christo, ejusque λύτρῳ pro nobis impenso agunt.*

In *vicesimo primo Articulo*: Christum iram DEI placasse plenissima satisfactione: Eum in corpore & in anima sensisse horrilem illam pœnam quam nos peccatis nostris eramus commeriti. t in Catechismo quæst. 37. 44. Christum iram DEI adversus eccatum universi generis humani corpore & anima sustinuisse: um demersum fuisse in inenarrabiles animi angustias, cruciatus, terrores infernales, ut nos ab infernalibus angustiis & cruciatis liberaret. Contra docent *Arminius* & *Vorstius*. Contra 21. Artic.

30. *Christum in persona sua non sensisse omnes pœnas, quas peccata nostra commeruerant, neque hoc modo pro nobis satisfeciisse: Sed utrem secundum peculiare pactum cum ipso initum, actus aliquos edientiæ illi præscripsisse & stipulatum esse addita promissione, fore aternam redemptionem iis acquireret.*

In *Vigesimo secundo* Articulo docetur: Veram Fidem Iesum aristum cum omnibus ejus meritis apprehendere, & sibi applica- Et clarius in Catechismo quæst. 21. Veram Fidem non tantum certam notitiam, qua firmiter assentimur omnibus, quæ DEVS bis in Verbo suo patefecit, sed etiam certam fiduciam, non son alijs, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam juiam & vitam æternam donatam esse, idque gratis ex DEI misordia propter unius Christi meritum, Contra docent *Arminius*, *Venator*, *Bertius*, *Episcopius*, & alij. Contra 22. Artic. De Fide Iustificante.

31. *Veram Fidem posse esse sine cognitione Christi.* Præterea docet *Arminius & Vorstius.*

32. *Fidem justificantem in eo non consistere ut quis credat & fidat peccata ipsi esse remissa propter satisfactionem Christi.* m, *Vorstius* atque alii Remonstrantes,

3. *Credere in Christum esse nihilaliud quam præcepta obser-* e- Ineodem Articulo docetur. Iesum Christum, qui omnia sua rita nobis imputat, esse justitiam nostram, qua in judicio EI consistemus. Et clarius in Catecheſi quæst. 61. Solam satis- De Iustificatione hominis coram Deo.

factionem, justitiam, & sanctitatem Christi nostram justitia coram DEO esse. Contra docent *Arminius, Vorstius, Bertiu* & alij

34. Christi justitiam nobis in justitiam nostram non imputari

35. Nos justificari per justitiam nobis inhærentem, & per pr priam justitiam.

Item, docetur ibidem, Fidem ipsam propriè loquendo, non per s vel ex se, nos justificare, sed duntaxat veluti instrumentum in j stificatione nostri considerari, quo Christum justitiam nostra apprehendimus. Contra docent *Arminius, Bertius, Vorstius, J annes Arnoldi,* & alij

36. Fidem, propriè loquendo, nobis imputari in justitiam n stram, & per gratuitam DEI *acceptulationem pro perfecta Le observatione censeri.*

Contra 24. Artic. In *Vigesimo quarto* Articulo docetur; Opera etiam quæ prov niunt ex sincera radice fidei ad nos justificandos nullius prors esse momenti. Et in Catechesi quæst. 62. Bona nostra opera n posse esse justitiam nostram coram DEO, nec partem aliqu ejusdem. Contra docent *Vorstius, Bertius, Venator* & alii,

37. Nos coram DEO *justificari per nostra bona opera Fi Euangelij, seu quæ Christus nobis præscripsit.*

Item, Cum Deus opera bona in suis remuneratur, id mera s gratia fieri, ut qui dona sua in nobis coronet. Contra docent R monstrantes,

38. Deum hanc mercedem operibus nostris debere: & Vit, æternam nobis tantùm ut mercedem promitti.

De Perfectione hominis in hac vita. In eodem Articulo docetur, Nulla nos posse edere opera bona, q non sint carnis nostræ vitio polluta, ac proinde supplicio pœn que digna. Et in Catechesi quæst. 62. Præstantissima opera n stra in hac vita esse imperfecta, atque adeò peccatis inquina Contra docent *Arminius* & *Venator,*

39. Nos posse præstare opera, quæ planè sint perfecta, & nu pœnis digna.

In Catechesi præterea docetur, quæst. 114. Illos qui ad Deu conversi sunt, Præcepta Legis divinæ perfectè in hac vita serv non posse. Contra docent *Arminius, Vorstius, Venator,*

Contra 25. Artic. De desertione V. & N Testamenti. *40. Hominem regenitum Legem* DEI *in hac vita perfe posse servare.*

In Vigesimo quinto Articulo docetur: Nos Prophetarum te nomijs uti, ut ijs nos ipsos in Euangelij doctrina confirmem.

Et in Catechismo, quæst. 19. Deum ipsum in Paradiso Euangelium primùm patefeciſſe, ac deinceps per Patriarchas & Prophetas propagaſſe. Contra docent *Vorſtius*, & *Epiſcopius*,

41. Promiſſiones Euangelicas de vita æterna non extitiſſe in Veteri Teſtamento.

Item, Nos ſecundum teſtimonia Legis & Propherarum vitam noſtram honeſtè ad DEI gloriam juxta ipſius voluntatem componere. Contra docent *Vorſtius* & *Epiſcopius*,

42. Chriſtum in Novo Teſtamento nobis nova quædam & perfectiora præcepta præſcripſiſſe, quæ in Lege non ſint mandata.

In *Vigeſimo ſeptimo* Articulo docetur: Veram Eccleſiam eſſe congregationem ſeu cœtum omnium fidelium Chriſtianorum, qui totam ſuam ſalutem ab uno Ieſu Chriſto expectant. Contra docet *Venator*, Contra 27. Artic. De Eccleſia.

43. Ad veram Eccleſiam DEI *etiam pertinere omnes illos qui honeſtè vivunt, etiamſi in Chriſtum non credant.*

In *Trigeſimo* Articulo docetur, Eccleſiam debere regi ac gubernari ſpirituali politia, quam nos DEVS ipſe Verbo ſuo edocuit, per Pāſtores, Seniores, & Diaconos. Contra docet *Vtenbogardus*. Contra 30. Artic. De Regimine Eccleſiæ.

44. Magiſtratui politico cum Chriſtianus eſt competere regimen Eccleſiæ.

In *Trigeſimo primo* Articulo docetur: Miniſtros Verbi, Seniores, & Diaconos ad munus ſuum vocari debere per legitimam Eccleſiæ electionem. Contra docet *Vtenbogardus*, Contrà 31. Artic.

45. Miniſtros Verbi, Seniores, & Diaconos à Chriſtianis Magiſtratibus eligi debere.

In *Trigeſimo tertio* Articulo docetur: Sacramenta à DEO inſtituta eſſe, ut ijs promiſſiones DEI nobis obſignentur, atque ut ignora nobis ſint benevolentiæ & gratiæ divinæ erga nos. Contra docent *Arminius*, *Venator*, alijque, Contra 33. Artic De Sacramentis.

46. Præcipuum finem, cur Sacramenta ſint inſtituta, eſſe memoriam ſeu commemorationem mortis Domini, atque obligationem ad charitatem mutuam,

Item, in Novo Teſtamento tantum Duo eſſe Sacramenta, nimirum Baptiſmum & Cœnam Domini. Contra docet *Venator*,

47. Tria eſſe Novi Teſtamenti Sacramenta, Baptiſmum, Cœnam Domini & Lotionem pedum.

In *Trigeſimo quarto* Articulo docetur: Infantes fidelium eſſe baptizandos. Cotra docet *Venator*, Contra 34. Artic.

48. Non debere quemquam baptizari, nisi qui prius doceri posset.

Contra 57. Artic. De Resurrectione hujus Carnis.

In *Trigesimo septimo atque ultimo* Articulo docetur: In Resurrectione animas esse conjungendas iterum cum ijsdem corporibus, in quibus vixerunt. Quod etiam docetur in Catechesi, quæst. 57. Hanc nostram carnem cum anima nostra rursus esse uniendam. Contra docet *Vorstius,*

49. Hanc carnem nostram, quod ad substantiam attinet, regnum DEI *non esse possessuram, sed animas nostras uniendas esse cum corporibus, quæ quo ad substantiam, erunt Spiritualia.*

In Catechismo etiam additur, quæstione eadem: Animas nostras post hanc vitam evestigio ad Christum caput suum assumi. Contra docet *Vorstius,*

50. Hominem post mortem usq; ad diem judicij dormire etiam quoad animam.

Omnes hæ Novitates, tot numero, & tam magni momenti pluresque aliæ, quas adhuc commonstrare possemus, à diversi Ecclesiarum Ministris in Hollandia & VVest-Frisia sententiæ Remonstrantium addictis, extra & præter quinque istos Articulos, apertè & publicè docentur. Adeo ut hinc videre liceat, vi aliquem nostræ Confessionis Articulum esse, qui alicujus sit momenti, adversus quem ab ijsdem non doceantur diversæ Novitates: ac proinde non esse *injustas criminationes, aut calumnias* cum Ministri Ecclesiarum Remonstrantium sententiæ addicti accusantur, ipsos diversas Novitates in hasce Ecclesias introducere adversus receptam harum Ecclesiarum Doctrinam in Confessione & Catechesi earundem explicatam. Si Remonstrantes hic quidquam velint negare, parati sumus hæc omnia in Legitimo Ecclesiastico Conventu, qui hac de causa judicare possit perspicuè atque abundè comprobare. Quare admodum iniqua est hæc petitio, ut hosce homines, qui tot Novitates adversus receptam doctrinam docent, habeamus pro ijs qui consensum servent cum primo Christianæ Reformationis in hisce locis fundamento. Apertè enim testantur, quando omnes hasce Novitates docent, eos penè ab omnibus Articulis Reformatæ doctrinæ, ab initio Reformationis in hisce regionibus receptæ, magno cum consensu traditæ defeciisse. Remonstrantes hic scient effugium in promptu habere, & dicere: Quodcunque *Ar*

Effugium Remonstrantium.

minis

minius, Vorstius, Venator, aut quisquam alius fortè docuerit, id ipsos communiter non tangere. Sed non sufficit id dixisse, ostendendum quoque erat reipsa, quod Remonstrantes antehac nunquam fecerunt: sed potius contrà magis magisque caussas nobis præbuerunt sentiendi, pleroscque omnes hisce Novitatibus esse inquinatos. Si enim hisce dogmatibus & Novitatibus non assentiantur, cur cum hisce Doctoribus tam arctam semper coluerunt atque etiamnum colunt familiaritatem? Nonne publicè declararunt, se in libris *Vorstij* nihil inveniisse quod jure ipsum gravare possit? Nonne scripta *Arminij* magna cum commendatione publice ediderunt? Nonne *Venator* inter Remonstrantes, atque etiam inter Assistentes Arminij, unus fuit in Collatione Arminij cum Gomaro? An unquam hi ipsius errores à Remonstrantibus damnati fuerunt? Quid est quod dicant hos errores ipsos non tangere, quam dui errores illos, quos dicunt ipsos non tangere, comdemnare nolunt? Hoc nunquam à Remonstrantibus obtineri potuit, uti quoque adhuc recusant, atque omnibus modis hanc condemnationem subterfugere conantur, atque ita satis ostendunt, hasce Novitates ipsos egregiè tangere. Si enim hisce Novitatibus non essent addicti, quæ nam possent esse rationes, cur gravarentur rotunda declaratione hasce Novitates rejicere & condemnare, atque ita seipsos, si insontes essent, ab hisce suspicionibus liberare? Quod si verò Remonstrantes omnes, aut sponte velint sententiam suam rotundè exponere, aut à Supremo Magistratu constringerentur, ut se declarent, verendum est paucos fore, qui omnibus hisce Novitatibus non assentiantur.

Secunda petitio Remõstrantium; ut Illustr. DD Ordines schismata in Ecclesia Amstelodamensi ab ipsis facta sua autoritate approbent.

Secundum quod Remonstrantes petunt, hoc est, *ut Illust. DD. Ordines misereat Christianorum Ecclesiæ Amstelodamensis membrorum, quæ sequuntur sententiam Remonstrantium, ut ibidem illis liberum Religionis exercitium, secundum ipsorum sententiam concedatur.* Membra hæc ab illis hoc titulo ornantur *quod antiquæ & primæ Reformationi adhæreant.* In præcedentibus contrarium fuit probatum, scilicet omnes illos qui sententiam sequuntur Remonstrantium defeciisse à sententia antiquarum & primarum Reformatarum Ecclesiarum: quapropter hæc petitio non minus est iniqua quam illa superior. Omnia enim mẽbra Ecclesiæ Amstelodamensis, quæ revera seu verè adhærent antiquæ & primæ Reformationi, habent ibidem publicum & liberum Religionis exercitium, secundum

dum ſententiam, ſuam in ſex publicis Templis, ſub miniſterio undecim Miniſtrorum Verbi, qui omnes magno conſenſu ſtant in ſententia antiquarum & primarum Eccleſiarum Reformatarum. Reliqua membra, quæ ibidem fortè ſunt addicta ſententiæ Remonſtrantium, quæ numero admodum ſunt pauca, in eo defecerunt ab antiqua Reformata doctrina. Ac propterea quando illa à Miniſtris Remonſtrantibus excitata atque incitata à publica Reformata Eccleſia ſe ſeparârunt, Eccleſiam ſeparatam ibi erexerunt, & congregationes ſeparatas inſtituerunt, eo ipſo apertum & formatú ſchiſma fecerunt in benè conſtituta & pacata Eccleſia Reformata. Quocirca etiam Ampliſſimus ejus civitatis Magiſtratus ex officio quo obligatus eſt omnia non neceſſaria ſchiſmata ex Eccleſia Dei arcere, admodùm Chriſtianè ac prudentiſſimè fecit, multaſque graves ac ſolidas rationes habuit, quod interdicendo, ne ſeparatiſtæ congregationes in urbe habeantur, hoc ſchiſma impediverit. In publica enim Eccleſia Amſtelodamenſi ab ipſo Reformationis initio nulla unquam, neque in Doctrina, neque in Ordine, mutatio facta fuit, omneſque ejus Eccleſiæ Miniſtri ſummo cum conſenſu conſtanter perſiſtunt in illa doctrina, quæ ab initio Reformationis in illa Eccleſia ſemper fuit tradita, quæque adhuc in omnibus harum regionum Eccleſijs Reformatis, in quas Remonſtrantes cum Novitatibus ſuis non irrepſerunt, magno cum conſenſu docetur. Quas igitur iſti homines rationes prætendere poterunt, cur ſe ab illa Eccleſia, ejuſque doctoribus ſeparant, & ſchiſma inſtituunt, ſi perſiſtere volunt in Doctrina & Eccleſia Reformata? Remonſtrantes dicunt propterea hæc membra ſeparationem iſtam feciſſe, *quoniam Miniſtri Amſtelodamenſes omnes illas dictas Novitates*, quas nobis ſupra affinxerunt, *in Eccleſiam illam introducebant*. Quam falſo hic Miniſtri Amſtelodamenſes, uti quæque ſupra nos omnes, Novitatum accuſentur, ſupra abundè demonſtratum fuit. Adeò ut vel inde pateat Schiſma ipſorum prioris putis mendacijs & calumnijs eſſe fundatum. Addunt cogitata fuiſſe illa membra ut ſeſe ſepararent, *quia Doctrina Remonſtrantium perpetuò ab illis Miniſtris condemnabatur & traducebatur*. Hanc doctrinam hic iterum iniuſtè *Antiquam* appellant. Veritas ſecundum ſententiam noſtram non poteſt doceri & confirmari, niſi eo ipſo contraria falſitas condemnetur. Atque hoc etiam ad officium fidelis doctoris pertinet, ut non tantum Veritatem doceat ſed etiam falſitatem reprehendat ac refutet, atque Eccleſiam diligenter ac fideliter moneat, ut caveat ab erroribus, il-

præſerti

præsertim qui sparguntur, ne facile illis seducatur. Quod ipsum vulgò injustè appellari solet Calumniari. Et cum hoc à Ministris Amstelodamensibus factum fuit, nihil aliud fecerunt, quam quod ipsorum erat officij, neminique eo ipso causam faciendi schismatis dederunt. Nisi fortè hi schismatici dicere velint dogmata ista, quæ Ministri Amstelodamenses tanquam errores reprehenderunt, tanti esse momenti, ut non liceat communionem fraternam colere cũ ijs, qui in istis dogmatibus ab illis dissentiunt: quod ipsum prorsus omninò evertere fundamentum ipsorum, cui suam illam Torrantiam superstruere conantur. Sed, inquiunt, *reprehendunt ista dogmata perpetuò calumniando:* atque hanc ob causam ista membra se separarunt. Ministri Amstelodamenses diserte hoc negant, ac propterea probari hoc deberet. Ac tametsi fortè unus atque alter illis adversus Remonstrantium errores paulo acrius subinde invehatur, quam Remonstrantium sententiæ addictis placeat, propterea tamen ista membra non *impediuntur Christianam Reformatam Religionem publicè in illa Ecclesia exercere*, cum ibidem diversi alij Ministri, qui quoties hæc dogmata controversa pertractant, ea utuntur modestia & prudentia, ut ipsi illi, qui Remonstrantium sententiæ addicti sunt, agnoscere cogantur, ne vel minimam se habere rationem, cur de ipsorum vehementia conqueranter. Adeo ut hæc petitio non tantum sit iniqua & malè fundata, sed etiam ridicula, cum petant *ut Ill. DD. Ordinibus placeat commiserescere istorum membrorum:* haud aliter ac si illa à Magistratu Amstelodamensi exilijs, carceribus, bonorum confiscationibus, ædium demolitionibus, ejectionibus ex muneribus publicis, atque hujusmodi persecutionibus (quibus Remonstrantes istis in locis, ubi superiores facti sunt, membra Ecclesiarum, quæ nostram sequuntur sententiam, quotidie opprimunt) gravarentur: cum omnibus notissimum Amplissimum ejus urbis Magistratum Religionis causa nemini unquã molestiam ex hibuisse. Mirandum sanè magnopere est, qua conscientia Remonstrantes non tantum potuerint schisma in Ecclesia Amstelodamensi instituere, sed etiam publicè audeant postulare, ut Supremus Magistratus autoritate sua hoc schisma velit approbare ac tueri: cum ipsi semper clamitent, atque acerrimè asserant, hæc dogmata tam exigui esse momenti, ut propter illa nemo bona conscientia possit schisma aliquod instituere. Verùm hoc modo aliquando oportet conscientias hominum revelari.

Regerent forte hic nobis, à parte nostra prius ceptum fuisse in-

Separationes factæ à Remonstrantibus.

stitui congregationes separatas, atque ipsos voluisse par pari re-
ferre. Cæterùm si existiment (uti semper dicunt) idipsum à parte
nostra malè fieri, an ergo dedita opera malum (secundum ipso-
rum opinionem) malo rependent? Præterea constat inter utriusque facti causas ingens esse discrimen. A parte nostra coactæ fue-
runt Ecclesiæ tales separatas congregationes instituere, illis in lo-
cis, in quibus doctrina nostra antea tradita fuit, & Ecclesijs ill
fuit erepta, aut per ejectiones injustissimas orthodoxorum Mini-
strorum ex publicis ministerijs, aut per iniquas obtrusiones hete-
rodoxorum Ministrorum in eadem ministeria, invitis Ecclesijs
Eo enim Ecclesiæ ad hæc extrema fuerunt redactæ, ut coactæ fue-
rint, aut novam hanc Remonstrantium doctrinam recipere, atqu
ita antiquam Reformatam doctrinam deserere: aut sine Reli-
gionis exercitio vivere: aut sibi prospicere de Religionis exerc
tio per ministerium orthodoxorum Ministrorum in separatis cor
gregationibus. Cumque intelligerent Ecclesiæ, se bona conscien
tia non posse doctrinam Remonstrantium sequi aut recipere, qu
eam pro nova & heterodoxa doctrina habebant, per quam ipso
rum conscientiæ non poterant ad salutem debitè instrui, & qu
in hisce Ecclesijs Reformatis nunquam esset recepta, sed semper r
jecta: cum etiam horrendas illas Remonstrantium calumnia
quibus receptam doctrinam quotidie onerabant, non possent ni
cum magna animi perturbatione, atque animarum offensione a
dire: Cumque etiam judicarent se non posse bona conscientia si
Religionis & cultus divini exercitio vivere, coactæ tandem fu
runt, etiam cum bonorum & statuum suorum periculo & jactur
separatas instituere congregationes, ut in ijsdem omni cum m
destia quietè cultum divinum exercerent, Verbum DEI in sinc
ritate explicari audirent, atque ut ita in recepta doctrina Refo
mata persisterent ac perseverarent. Adeò ut hæ Ecclesiæ se separa
tes à Ministris Remonstrantibus, quia novam ipsorum doctrina
amplecti non possunt, sese non separent ab Ecclesijs Reformat
harum regionum, ac proinde etiam in ijsdem schisma nullum f
ciant. Tantum enim abest, ut hæ Ecclesiæ hisce separationib
suis se velint ab Ecclesijs Reformatis separare, ut eam ob causa
se separent à Remonstrantibus, ne sese ab alijs Ecclesijs Reform
tis cogantur separare, sed ut cum ijsdem consensum in Doctri
& in Ordine Ecclesiastico possint colere. At verò quod attin
ad membra Ecclesiæ Amstelodamensis, quæ ibi schisma cona
fuerunt instituere, quandoquidem revera probare non possun

Ministr

diniſtros Amſtelodamenſes à Reformatarum Eccleſiarum recepta octrina, quæ ibi ab initio Reformationis docta fuit, aut ab Or-ine, qui ibi ſemper obſervatus fuit, defeciſſe, fatendum erit nul-um ibi eſſe cauſſam faciendi ſchiſmatis, ſed quando illa membra oi ſeparationem inſtituerunt, eo ipſo ſeſe ſeparaſſe ab unitate ha-um Eccleſiarum Reformatarum, in qua Eccleſia Amſtelodamen-s ſemper ſtetit, atque adhuc perſiſtit per Dei gratiam.

Petitio Cõtra Remonſtrantium ad Ill. DD. Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ.

Quamobrem poſtremò nos loco harum injquarum Remonrantium petitionum, quam humillimè ab Illuſtr. DD. Ordinius Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ petimus, ut Illuſt. Dominationibus iis placeat, ex officio atque autoritate, quam DEVS illis conſeſſit hriſtianam curam gerere, atque omnibus modis prohibere, ne ovitates aliquæ adverſus receptam Reformatam Doctrinam, & ſitatum Ordinem Eccleſiaſticum in haſce Eccleſias introducanr. Inde enim extiterunt omnia hæc incommoda, omneſque hæ fficultates, confuſiones, triſtiſſimæque turbæ & diſſenſiones in ccleſijs harum regionum. Nos hic perſpicuè probavimus iſtius cinoris nos non eſſe reos, noſque nihil aliud quærere, quam ut obis liceat perſiſtere in antiqua & recepta Reformata harum Ecleſiarum Doctrina, uti illa in Confeſſione & Catecheſi harum cleſiarum comprehenſa ac declarata eſt: & ſimul etiam ſervare itatum Ordinem Eccleſiaſticum. Petimuſque ut Illuſtr. DD. rdinibus placeat nos pro talibus habere atque æſtimare. Con-oſtendimus Miniſtros harum Eccleſiarum qui ſequuntur ſenntiam Remonſtrantium, non tantum in quinque ipſorum Artiulis, ſed etiam in diverſis aliis, etiam magni momenti, Chriſtianæ oſtræ Reformatæ Religionis capitibus, tot tantaſque Novitates Eccleſijs harum Regionum docere, ut perſpicere vix poſſimus, hac in re quam primum ligitimum non adhibeatur remedium, iomodo in Eccleſiis harum regionum Doctrinæ puritas ſervari, que unitas inter doctores conſervari diutiùs queat. Remonſtrans hic conantur diffiteri ſe Novitates docere, quod nos affirmaus, atque eius rei ipſos accuſamus: Illi contra nos accuſant, quod os aliquas Novitates doceamus, quod & nos omninò negamus. t tandem aliquando huius controverſiæ finis & determinatio alia eſſe poſſit, quodnam poterit eſſe convenientius medium, quam audiantur iudicia Reformatarum, quæ in hiſce Federatis Proinciis ſunt Eccleſiarum Legitimè eum in finem congregatarum dicia? Quapropter nos etiam omni cum humilitate & ſubiectio-petimus, ut Illuſt. DD. Ordinibus Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ:

placeat, una cum aliis Federatis Provinciis, assentiri & statuere, u tandem aliquando Synodus Nationalis ante multos annos Eccle siis promissa, ac magnis illarum desiderijs expectata, quæ ordina rium est et convenientissimum remedium, quod semper in Eccle sia DEI ad eiusmodi controversias & difficultates tollendas ad hiberi solet, quam primum, sub autoritate Supremi Magistratus instituatque haberi possit: ut per illam debitè & legitimè inqui ratur, quinam sint illi, qui Novitates in Ecclesias introducant, a que eo ipso easdem tam miserandum in modum perturbant: atqu ut in eadem porro opera dari possit, ut omnes hæ multifariæ diffi cultates, ἀπορίαι, & confusiones ex Ecclesiis harum regio num debitè tollantur, & constans & recta aliqua Ordinis ratio in ri possit, qua Vnitas in Doctrina & Ordine Ecclesiastico constab liri queat. Denique ut Ill. DD. Ordines etiam commiserescat Ec clesiarum Reformatarum in hac regione, quæ persistentes in re cepta Doctrina, atque usitato harum Ecclesiarum Ordine, eo que salvis conscientiis non possunt novā hanc Remonstrantium Do ctrinam sequi, & cultum divinum omni cum modestia quæru per Ministros, qui constanter in doctrina recepta perstiterunt, exe cere, propterea diminutione libertatis civium, mulctis pecuniarii exiliis, carceribus, aliisque pœnis, diversis in locis, hic gravantu ac proinde ut dictis Ecclesiis interim permittatur, ut cultum div num sine impedimento aut persecutione modestè exercere illis l ceat: donec in Synodo Nationali, cum assensu Summi Magistr tus, rectus & constans aliquis Ordo statutus fuerit, secundu quē istæ Ecclesiæ una cum Reliquis Ecclesiis Reformatis in his regionibus se porrò gerere debeant. DEVS Veritatis & Pacis no bis omnibus hanc gratiam suam largiatur, ut unusquisque vocatione suā, & secundum eam, Zelo Christiano omnique dil gentia ac prudentia allaboret, ut hæ mæstæ turbatæque Ecclesiæ salva Evangelica Veritate, tandem rursus ad Christianam vnitate & Pacem reducantur, ad Nominis sui gloriam, dilectæ Patriæ no stræ bonum, & incolarum huius regionis Salutem. AMEN.